

31

DE PERSONA
EURIPIDIS IN RANIS ARISTOPHANIS
COMMENTATIO.

SCRIPSIT

AD CELEBRANDA PUBLICA DISCIPULORUM
EXAMINA

ET

AD AUDIENDAS ALIQUOT IUVENUM IN ACADEMIAM
DISCEDENTIUM ORATIUNCULAS

NOMINE

SCHOLAE THOMANAE

INVITATURUS

RECTOR

GODOFREDUS STALLBAUMIUS.



LIPSIAE MDCCCXLIII.
PRODIIT EX OFFICINA STARITZII,
ACADEM. TYPOGRAPHI.

LEIP
M (1843)

DE PERSONA

EURIPIDIS IN RANIS ARISTOPHANIS

COMMENTATIO

SCRIPTIT

AD CELEBRANDA TURBICA DISCIPULORUM
EXAMINA

ET

AD AUDIENDAS ARIOTOTI LUVENEM IN ACADEMIA
DISCIDENTIUM GRATIASCULAS

AVI

SCHOLAE THOMANAEE

INSTITUTUS

RECTOR

CONDONATUS STAFELBERGER



LITAE HOFFMANNI

PROBILITATE DEVICINA REACTIBILI

LEON. STREIBER

Quam ante aliquot annos de persona Bacchi in Ranis Aristophanis scripsimus commentationem, eam tunc initium quasi quoddam fore significavimus disputationum complurium, quas data scribendi opportunitate de fabula nobilissima in lucem emissuri essemus. Placet igitur nunc ad opus diutius intermissum aliquando reverti, et persequi ulterius, quae de personis Ranarum scenicis disputare tunc instituimus. Neque enim ingratam aut inutilem fore harum rerum quaestionem putamus, quae absoluta et ad finem perducta hoc certe utilitatis videmur percepturi esse, ut quae aliquando de universae fabulae inventionem et compositionem erunt exponenda, ea non modo rectius et facilius, sed etiam certius aptiusque ad persuadendum explicari possint.

Sunt vero in Ranis, si a Baccho discesserimus, nullius partes graviores, quam poetarum tragicorum, Aeschyli, Sophoclis et Euripidis. De horum igitur personis nunc ita disserere animum induximus, ut non modo quales a Comico informentur, evidentius appareat, verum etiam intelligatur, id quod scitu maxime dignum est, quam ob rem ipsis tribuantur ea, quae iis tributa esse primo saltem adpectu unicuique videatur mirabile. Neque enim de his rebus iam a quoquam ita explicari meminimus, nihil ut dubitationis usquam relictum sit, quandoquidem vel ii, qui nuper demum hunc locum pervestigarunt, WELKERUS Interpretat. Rann. Germ. p. 245 sqq. BOHTZIUS Disp. de Rann. Aristoph. p. 6 sqq. BERNHARD. THIERSCHUS Prolegg. ad edit. Rann. p. XV. sqq. EDUARD. MUELLERUS in Histor. Art. apud vet. Graec. I. p. 134 sqq. ROETSCHERUS in libro: *Aristophanes u. sein Zeitalter*, p. 210 sqq. alii, ii omnes excepto uno ROETSCHERO, qui maiora sane molitus est, in eo fere substiterunt, ut quid a Comico singulis poetis tragicis adscriptum esset, sedulo conquirerent; causas, cur poeta facetissimus id sic fecisset, curiosius investigare noluerunt. Quo factum est, ut multi saepe iique sat graves errores vel propagati vel recens admissi sint, in quibus imprimis etiam hic est notabilis, quod qui uni Aristophani maxime sunt confisi eiusque iudicia per omnia probaverunt, ii Euripidem tanquam misellum poetam tragicum habuerunt pessime; contra autem qui huic bene cupiverunt, hi Comicum in detestabilis cuiusdam planeque abominandae calumniae et procacitatis crimen vocare non dubitarunt. Nimirum fieri sane ita assolet, ut ex fontibus turbulentis etiam rivuli impuri emanent, qui turbidam aquam in maiora emittentes flumina haec ipsa quoque contagione sua polluant turpiterque inquinant.

Et vulgaris quidem doctorum hominum sententia, ne nunc quidem abiecta illa aut plane repudiata, semper fuit haec, qua Aristophanem censuerunt in Ranis suis voluisse Euripidem eiusque poësin traducere et quanto ille deterior viliorque poëta quam Aeschylus fuisset, comparatione utriusque instituta, hilariter quidem ac festive, sed ita tamen docere, ut quae sua ipsius esset animi sententia, si non perspicue intelligi, at certe verisimiliter conici ac divinari posset. Quocirca plerique omnes etiam nunc in ea sunt opinione, ut in illa fabula existiment severam gravemque de poëtis tragicis, Aeschylō imprimis et Euripide, agi censuram, unde quid Aristophanes de tragoediae scribendae arte et facultate unicuique propria senserit, probabiliter cognosci et intelligi queat; quin etiam sunt, qui sese non dubitarunt in iudicandis illorum operibus ad Aristophanis auctoritatem ita componere, ut eam per omnia sequuti sint; ex quibus praeter ceteros hic nominasse iuvabit A. W. SCHLEGELIUM: *Vorlesungen über dram. Kunst* Vol. I. p. 198 sqq. et GRUPPIUM in *Ariadne* p. 365 sqq. quibuscum compares FR. IACOBIUM in libro: *Nachträge zu SULZERS Theorie*, Vol. V. P. II. p. 335 sqq.

Nec profecto nos ii sumus, qui in illa opinione aliquid veri inesse omnino negemus; sed iidem tamen haudquaquam dubitamus affirmare et contendere, nullo modo eam sufficere ad poëtae comici consilium rationemque omnem recte aestimandam atque iudicandam. Quod ut ita statuamus, ante omnia ipsa tempora faciunt, quibus Ranarum fabulam actam esse certissimis constat veterum scriptorum testimoniis. v. Comment. de persona Bacchi p. 6. Quid enim? illud unum si Aristophani fuerit potissimum propositum, quid tandem de eo iudicabimus, quod Euripidem eo ipso tempore tam proterve ac petulanter tractavit, quo haud ita pridem de tristissima eius morte erat nuntiatum atque universae Athenae, nec Sophocle tunc adhuc vivo sed mox morituro improbante, magni poëtae obitum miserrime lugebant? estne credibile, Comicum poëtae tragico adeo fuisse infestum aut iratum, ut ne mortuo quidem parcendum duxerit? an vero ipsum putabimus cavillandi ridendique lubidini eo usque indulsisse, ut ne tum quidem sibi ab ea temperaverit? Nimirum Aristophanem qui bene noverunt, ii facile sibi persuadebunt, opinor, rem omnino habere aliter neque eum hoc tali tempore ignobilis alicuius scurrae partes assumere sibi voluisse. Neque enim ille is est, qui nihil nisi risum captet. Qui si quos in scena traducit, etiamsi totus in facetiis esse videatur, tamen semper plus in recessu habet, atque seria iocis prudentissime ita solet temperare, ut haec an illa vi sua praevalent, plerumque sit dictu longe difficillimum. Neque profecto verisimile est ausum eum esse tum, quod vulgo ab ipso susceptum esse arbitrantur. Nam si illo tempore nihil aliud voluisset nisi Euripidem cum Aeschylō in artis certamen commissum ita taxare et reprehendere, ut utrique plurima mero arbitrio affingeret eoque modo alterum lubidinose extolleret, alterum petulanter humi profligaret, futurum fuisse credibile est, ut spectatores, recentis casus adhuc memores, non ad iocum et hila-

ritatem, sed potius ad indignationem converterentur, malamque ipsi gratiam pro istis scilicet facetiis suis rependerent.

Sed praeter temporum rationes etiam alia sunt, quae ut de argumento Rana- rum aliter atque vulgo fit statuamus, non modo suadeant, sed prope necessitate quadam cogant. Videtur enim vulgari illa opinione suscepta atque probata haudquaquam sibi constare comoediae nobilissimae unitas ac simplicitas, quam certe in fabulis scenicis non minore iure requirimus, quam in aliis omnibus artis operibus. Etenim omne lustrantes eius argumentum et tanquam uno mentis obtutu contemplantes plurima sane videbimus in ea commemorari, quae haudquaquam referuntur ad artis iudicium, sed pertinent potius ad vitam Atheniensium vel privatam vel publicam, ad studia eorum et consilia, ad ingenia denique atque mores tunc regnantes. Qualia sunt maxime quae in priore fabulae parte exponuntur, itemque in parabasi et in canticis. Haec omnia vero procul dubio sunt eiusmodi, ut, ubi nihil nisi iudicium et censuram de poësi Aeschylea et Euripidea fieri statuerimus, haudquaquam intelligi liceat, quoniam vinculo singulae comoediae partes inter se contineantur, ita quidem, ut denique omnes ac singulae ad unum eundemque finem, universo operi communem, referantur. Nisi igitur putare voluerimus Aristophanem, hoc est maximum fabularum scenicarum artificem, in hoc eodem opere, in quo artis scenicae iudicem agere constituit, artis leges temere migrasse atque neglexisse, prorsus necesse est, ut etiam hanc ob causam de consilio et ratione, quam in Aeschylo et Euripide suo informando secutus sit, aliter atque vulgo existimemus.

Nec vero hac in causa hariolandum tantummodo aut incertis coniecturis iudicandum est, quae tandem rei ratio sit, siquidem Comicus ipse, quid sibi voluerit, haud obscuris prodidit indicia. Nam illud ipsum, quod passim de Atheniensium ingeniis, studiis, moribus, verba facit, eaque vel taxat et reprehendit, vel cum pristinorum temporum rationibus comparat, profecto eiusmodi est, ut tanquam viam monstrare videatur, qua in iudicando eius consilio et ratione incedi oporteat. Cohaerent quippe ista omnia, sicuti manifestum erit considerantibus, cum iudicio, quod de poësi fecit, sane quam arctissime. Etenim Comicus poësis tragicæ iudicandae consilium quum cepisset, pro suo mentis acumine facile pervidit, sicuti omnes omnino artes atque litteras, ita in primis etiam poësin scenicam tanta cum reliqua aequalium vita et publica et privata contineri necessitudine, ut tanquam imaginem referret eius sentiendi agendique rationis, quae diversis aetatibus publice privatimque vigeret, paene ad vivum expressam. Neque profecto ea in re ipsum fefellit mentis opinio. Habuit enim poësis tragica Atheniensium, quae tanquam civitatis alumna quaedam et nata et educata fuit, maximam cum vita communi coniunctionem, ut, quemadmodum ipsa inde prodiit, ita etiam tota eodem spectaverit. Hac igitur observatione usus Aristophanes id, quod facere constituerat, singulari quadam ingenii sollertia perfecit. Prudentissime enim dum veteris et recentioris artis dramaticae

egit censuram, una eademque opera etiam studia, mores, cupiditates, vitia denique civium suorum notavit atque castigavit, quippe quae in poësi scenica tanquam in speculo aliquo repercussa imagine clarissime cerni et animadverti possent. Itaque tantum abest, ut Ranae ad unum poëtarum tragicorum iudicium pertineant, ut complectantur simul notationem morum atque studiorum eam, unde intelligi liceat paullatim ita factum esse Athenis, ut labente sensim vitae publicae ac domesticae disciplina etiam artis scenicae laus atque virtus ad deterius laberetur vicissimque una cum arte tragica etiam publici mores corrumperentur.

Atque haec si tenemus, dici profecto non potest, quantum lucis universo Ranarum operi affundatur, quamque nullo negotio tollantur, dubitationes istae, de quibus antea mentionem iniecimus. Nam primum quidem iam facillime poterit demonstrari, quanta cum arte poëta singulas fabulae partes, quantumvis in maxima rerum varietate versantes, colligaverit atque id effecerit, ut unum tanquam corpus idque longe pulcherrimum videantur efficere. Habent enim illae omnes commune hoc, quod per eas populo Atheniensi tanquam sua ipsius imago quaedam in poëtarum tragicorum arte et ratione conspicua ob oculos ponatur, siquidem et poësis dramatica cum disciplina reipublicae fuit coniuncta arctissime et vicissim haec non modo ad illam valuit plurimum sed etiam exinde tanquam vim vitalem sibi assumpsit. Deinde nec illud mirum videbitur, quod Aristophanes illo ipso tempore, quo haud ita pridem nuntius de tristi Euripidis obitu Athenas erat perlatus, poëtam tragicum ita plectere et castigare ausus est, ut quidquid esset vitiorum, id in unum illum consulto videatur congerere voluisse. Etenim quantumvis callidissime consilium rationemque suam occultaverit, tamen fieri non potuit, quin Athenienses pro acerrimo illo, quo pollebant, elegantiae et urbanitatis sensu protenus animadverterent, poëtam altius quiddam atque maius spectavisse, quam illud unum, ut Aeschylum et Euripidem in scenam inductos vel laudibus afficeret vel contumeliose tractaret. Quippe senserunt illi, nisi fallor, acutissime, istam quidem non unius poësis dramaticae sed etiam morum studiorumque inter ipsos vigentium esse censuram, ideoque non modo humaniter sed lubenter etiam Comico condonaverunt audaciam et protervitatem, qua in tractando argumento sanequam gravissimo versatus est. Verum plurimum lucis denique etiam in personas poëtarum tragicorum in Ranis inductas redundabit, ubi illud fuisse Aristophanis consilium meminerimus. De qua quidem re hoc libello nostro si non omnia, at nonnulla certe exponere accuratius conabimur.

Videntur vero nobis longissime a recto aberrare ii omnes, qui Aristophanem arbitrantur in Ranis poëtas tragicos ad ipsam vitae veritatem depingere voluisse, paucis quibusdam exceptis, quae quia pertineant ad risus movendi consilium, licentius sint conficta et per facetum addita ludibrium. Quippe nostro quidem iudicio ne ea quidem, quae risus movendi gratia illis attribuuntur, causis suis atque rationibus carent, sed potius ita sunt comparata, ut in iis vel maxime eluceat

Comici sollertia atque sapientia. Hic enim, si quid iudicare possumus, in informandis illorum personis id ipsum diligentissime ob oculos habuit, ut per eos aetatis suae studia atque mores tanquam ob oculos ponerentur. Atque hanc ipsam ob causam etiam Aeschylum tantum et Euripidem inter se de principatu iussit contendere; Sophoclem a certamine procul habuit, etsi is quoque quo tempore Ranarum fabula acta est, non ita pridem obierat. Voluit enim duarum aetatum inter se oppositarum et multis nominibus contrariarum picturam exhibere, quo clarius et evidentius perspiceretur earum diversitas. Quamquam quod Sophoclem a certaminis societate amovit, eo simul etiam significavit prudentissime, istum quidem esse tali certamine propter virtutem suam artisque praestantiam multo superiorem. Sed de hac re dicitur uberius alio loco. Redimus ad rationem, qua Comicus in informanda Aeschyli et Euripidis persona usus est. Hanc igitur putamus plane accommodatam esse illi consilio, quod cum censura poësis Aeschyleae et Euripideae, quam instituit, coniunctum esse voluit. Nam tantum abest, ut poëtas istos ad veritatis fidem adumbraverit, ut plurima iis adscripserit, quae aliquantum ab ipsorum ingenio abhorrent ac non tam vera quam verisimilia sunt. Etenim ut rem paucis complectamur, Aeschylum quidem poeta omnino informavit eum, qui priscae aetatis, qualis fuit bellorum cum Persis gestorum tempore speciem referat, ideoque palam faciat, quanta tunc fuerit vis nativi et incorrupti ingenii, quanta fortitudo et magnanimitas, quanta morum castitas et innocentia, quanta legum et institutorum patriorum reverentia, quanta pietas et verecundia in deos patrios, quanta denique poësis scenicae, quantumvis rudioris et incomptioris, dignitas et in maxima simplicitate maiestas atque granditas. Cui e regione ponitur Euripides, qui tanquam recentioris disciplinae partes sustinet. Huius enim exemplo ostenditur, ingentem nuper grassari occoepisse pristinae virtutis depravationem etiam in poësi tragica refulgentem, effeminatam mollitiem, ingens nugarum sophisticarum studium, effrenatam morum licentiam, deorum patriorum contentum plane incredibilem, denique insolentem protervitatem atque procacitatem in privatae pariter atque publicae vitae rationibus elucescentem. Consentientem prope de hac re habemus H. THEOD. ROETSCHERUM in libro ingeniosissime scripto de Aristophane eiusque aetate, qui posteaquam 51 sqq. exposuit, quomodo Comicus in describendis primariis fabularum suarum personis versari soleat, inde a p. 214 sqq., quo loco de Aeschylō et Euripide Aristophaneo disputat, Euripidem quidem censet eum induci, in quo labes ista late dispersa, quam poësis tragica per temporum vitiositatem traxerit, tanquam viva imagine expressa cernatur, Aeschylum autem priscae aetatis rationem referre arbitratur. Enimvero haec ipsa nostra quoque sententia est; nisi quod nos plurima, quae poëtis tragicis attribuuntur, non tam ad patefaciendam poësis corruptelam ac depravationem, quam ad arguendam vitiositatem in communi sentiendi agendique ratione regnantem referri existimamus, ita tamen ut alterum cum altero arctissime

coniunctum esse arbitremur. Hoc autem si poëtae comico fuit propositum, ecquis est quin videat per ipsam rei rationem plane fuisse necessarium, ut multa fingeret licentius atque Aeschylo et Euripidi praeter veritatem adscriberet?

Verum iuvabit, opinor, rem paullo accuratius consideravisse atque lustrandis rimandisque singulis docuisse, quo artificio Comicus in deformandis tragicorum personis usus sit. Quod quo facilius fieri queat, in tractando hoc argumento sic versari nobis licebit, ut nunc quidem unum Euripidem tantum propius intueamur, et qualem eius faciem pinxerit Aristophanes, accuratius dispiciamus. Nam quae de Aeschylo et Sophocle similiter disputari possunt, ea in aliud tempus placet reicere, ne libellus noster iustum magnitudinis modum excessisse arguatur.

Euripidem igitur, sicuti antea dictum est, Comicus fecit eum, qui novitiae disciplinae etiam in poësi tragica conspicuae et vitiorum publicorum cum ipsa coniunctorum quasi quandam imaginem exhibeat. Quod cur ita ab eo factum sit, certe dubium esse vix potest. Quamquam enim plurimi alii fuerunt poëtae tragici vel aequales illi vel etiam suppare, ut Agatho, Iophon, Ion, Philocles, Xenocles, Morsimus, Melanthius, alii, quorum profecto nullus est quin hic et illic a Comico corripatur — nam lege modo de Agathone Rann. v. 78 sqq. 83 sq. Thesmoph. v. 29 sqq. 130 sqq. 218 sqq. de Iophonte Rann. v. 73—79. de Ione Pac. v. 835. sqq. de Philocle Thesmoph. v. 168. Ran. 151. Pac. 801. Equit. 401. de Xenocle Thesm. v. 441. 456. Rann. v. 86. de Morsimo Ran. v. 151. Equ. v. 401. Pac. v. 801. al. de Melanthio Pac. v. 804 sqq. Avv. v. 151 sqq.; et facile videbis gravissima utique in singulis notari vitia — tamen Aristophanes istorum omnium principem videtur iudicavisse Euripidem, qui ob id ipsum commodissime ceterorum partes sustinere posset. Et fuit ille sane princeps duplici nomine. Nam primum quidem aequales suos fere omnes inprimisque eos, qui ipsi fuere superstites, longissime superavit ingenii felicitate, doctrinae copia et ubertate, facultate denique poëtica haud mediocri. Id quod etiam Aristophanes ipse in Ranis non obscure significavit eo loco, ubi Bacchum de caussis, cur poëtam aliquem ex Orco ad superos reducere decreverit, interrogatum de poëtis post Euripidis mortem adhuc superstitiibus sic fecit iudicantem (v. 92 sqq.): *ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ καὶ στωμύλματα, χελιδόνων μουσεῖα, λωβητὰ τέχνης, ἃ φροῦδα θᾶττον, ἢν μόνον χορὸν λάβῃ, ἅπαξ προσουρήσαντα τῇ τραγωδίᾳ.* Quae quantam prodant poëtarum superstitem prae Sophocle et Euripide contemtionem, quis est quin protenus animadvertat? Quocirca istud quidem si respicimus, Comicus videtur Euripidem fere eodem modo in scenam induxisse, atque Metonem in Avibus v. 998 sqq., quem tanquam geometram longe celeberrimum iussit in medium prodire, non quidem, ut ipsum haberet ludibrio, sed potius, ut rideret ac perstringeret omnino eos, qui, si artem geometricam et mathematicam suam superbe ac magnifice iactarent, quantumvis ea proferrent, quae vel cogitare velle ineptum esset et absurdum, tamen protenus sibi viderentur germani Metones extitisse. Nec tamen negari potest,

7

Aristophanem in eo, quod Euripidem potissimum in scenam produxit, etiam aliud quid esse secutum. Putavit enim illum, nisi fallor, etiam ideo inter poëtas aequales esse praecipuum, quia praeter ceteros aetatis suae studiis et cupiditatibus gratificari cōnatus esset, siquidem poësis eius non modo mollis esset atque effeminatae aetatis ingenio atque moribus conveniens, sed etiam novitiae disciplinae sophisticae et rhetoricae labe contaminata, quam maximi materiem mali esse censuit Aristophanes. Atque hanc ob causam eum etiam aliis omnibus crebrius vehementiusque in scena adortus est. Nam lacessivit eum primum in Acharnensibus Olymp. 88. 4. sive sexto belli Peloponnesiaci anno; tum duobus annis post in Nubibus (v. 1355 sqq.), mox rursus in Vespis (v. 61. 1414.), in Pace (v. 147. 524.), in Lysistrata (v. 368 sqq.), omnium acerrime vero exagitavit eum in Thesmophoriazasis, quae fabula acta est Olymp. 92. a. 2. sive 411. a. Chr. n. Haec eadem vero causa etiam fuisse videtur, cur eum mortuum in Ranis ita in scenam inducendum statuerit, ut dum iudicium de eius poësi fieret, eadem opera vitia populi, quae nuper maxime ingruissent, notarentur, perditae luxuries ac mollitia, effeminata lubido, turpis ignavia cum temeraria audacia consociata, impotens rixandi litigandique cupiditas, inanis garrulitas, petulantia et protervitas novitiae disciplinae rationibus mirum quantum adaucta, alia similia. Et prudentissime profecto ita statuit. Quum enim fabulae Euripidis tanquam speculi instar viderentur esse, in quo effectam morum ingeniorumque pravitatem expressamque imaginem vitae quotidianae cernere liceret, equis est quin videat, commodissime ita ab eo potuisse fieri, ut, dum poësis eius taxaretur, simul etiam Athenienses peterentur, quorum culpa imprimis factum erat, ut ea vel nugis sophisticis vel molli et enervi teneritate corrumperetur? Etenim poësis ista quemadmodum populi studiis, cupiditatibus, moribus sese accommodaverat, ita vicissim populus poësi erat simillimus, quippe cuius vitia in illam tanquam immigravissent. Quapropter utique erat consentaneum, quo acrius Euripides castigaretur, eo graviorem notam simul inuri iis, qui revera depravationis dramaticae auctores extitissent. His igitur rebus effectum est, opinor, ut Aristophanes Euripidi potissimum in Ranis suis istas partes demandaverit. Accessit vero temporis opportunitas, quae eum ut ita faceret graviter sane cohortari potuit. Nullum enim tempus ad perficiendum consilium illud, quod in Ranis exsequutus est, potuit esse aptius, quam quo mortui haud ita pridem erant Sophocles et Euripides. Nam tunc ipsum, quum vulgo omnes acerbam istam, quam civitas morte Euripidis fecisset, iacturam miserrima lamentatione deploravissent, cives suos perquam opportune admonuit, luctum istum suum haudquaquam vanum fuisse, quandoquidem eum desiderarent poëtam, cuius poësis ipsorum studiis, moribus, cupiditatibus plane respondisset, iisque tanquam pabulum quoddam et alimentum praeberet.

Atque ex his iam poterit, opinor, facilius diiudicari, quo artificio Comicus omnino in informanda Euripidis persona usus sit. Quam rem mirum est neglectam fere esse ab iis, qui aut Euripidem censuerunt Comici iudicio pessimum esse poëtam, aut Aristophanem putarunt inaudita protervitate atrocissima quaeque in illum innocentem crimina coniecisse. Etenim callidissimo ille invento Euripidem, quem et suam ipsius et vero etiam aetatis suae personam sustinere voluit, et ad veritatis speciem adumbravit, et accommodate ad aequalium suorum sentiendi agendique rationem instituit, ita ut alia veritati convenienter, alia autem per speciem tantum veri conflaxerit. Nam, ut brevi complectar, prudenti sane consilio in eo informando primaria quidem veri tanquam oris lineamenta servavit, ut omnes facili negotio possent cognoscere et intelligere, poësin eius utique severe graviterque castigari; sed quoniam una eademque opera etiam Atheniensium mores atque studia, quatenus in fabulis scenicis conspiciantur, ridere et exagitare constituerat, veris illius vitiis vicina atque cognata per superlationem adianxit, verissime arbitratus, audientes utrorumque similitudine in eam fraudem inductum iri, ut sibi viderentur verum cernere Euripidem, quum tamen revera conspicerentur infucatum, qui multis vitiis oneratus esset per verisimilitudinis speciem in eum collatis. Quo ipso id est consecutus, ut et suam de Euripidis tragoediis sententiam videri debuerit palam fecisse, et spectatores propter morum studiorumque perversitatem recentiore tempore in dies magis invalescentem facetissime deludere atque perstringere potuerit.

Sed quo clarius certiusque omnis rei ratio perspiciatur, age lustremus aliquando singula, videamusque accuratius, quidnam eorum, quae attribuuntur poëtae tragico, revera ad ipsum pertineat, quid ad irrisionem Atheniensium comparatum sit. In qua quaestione tractanda videmur non inepte facturi esse, si singulas censurae Aristophaneae partes percurramus, et quae vel ad philosophiae usum vel ad religionis pietatem vel ad morum disciplinam vel ad artis scenicae rationem vel denique ad rempublicam pertinent, ordine deinceps seorsum consideremus.

Itaque primum in Euripide reprehenditur hoc, quod novitia philosophia vel potius sophistica atque arte oratoria cum poësi tragica coniuncta et quasi commixta mentes hominum depravaverit corruptaque iudiciorum sanitate eos ad fraudulentiam, calliditatem, garrulitatem, alia similia vitia, tanquam instituerit et conformaverit. Quo nomine multa sunt, quae ad eum carpendum atque prosequendum proferuntur. Pertinet eo ante omnia, quod v. 780 sqq. narratur, ubi primum ad inferos post mortem devenerit, a furibus, rabulis, parricidis, aliis id genus hominibus, callidas scilicet argumentationes et subtilia calumniandi artificia studiose expetentibus, tanto applausu exceptus esse, ut ei protenus solium, antea Aeschylō honoris causa a Plutone concessum, maximo studio vindicare conati sint, quodque ibidem dicitur, amicus esse τῶν πανούργων, quemadmodum ipse quoque alibi πανούργος audit.

Nam v. 80. Dionysus: κάλλως ὁ μὲν γ' Εὐριπίδης, ποιοῦργος ὢν, καὶ ξυναποδραῖναι δεῦρ' ἐπιχειρήσει μοι. et v. 1541. Aeschylus: μέμνησο δ', ὅπως ὁ παυοῦργος ἀνὴρ καὶ ψευδολόγος καὶ βωμολόγος μηδέποτ' εἰς τὸν θάκον τὸν ἐμὸν μηδ' ἄκων ἐγκαθιδεῖται. Eodem plane refertur, quod v. 837 sqq., ubi certaminis ab utroque committendi initium instat, linguam adeo in promptu habet, ut procax, maledicus atque impudens videatur. Nec minore iure huc retuleris, quae a Choro dicuntur v. 822 sqq. v. 883 sqq. et 1512 sqq. Nam primo loco ille futuri certaminis rationem tanquam vaticinatur eaque occasione Euripidis ingenium his verbis describit: ἔσται δ' ἱππολόφων τε λόγων κορυθαίολα νείκη, | σχινδαλάμων τε παραζόνα, | σμιλεύματά τ' ἔργων | φωτὸς ἀμυνομένου φρενοτέκτονος ἀνδρὸς | ῥήμαθ' ἱποβόμονα. et mox: ἐνθεν δὴ στοματουργὸς ἐπῶν βασανίστρια λίσπη | γλῶσσ', ἀνελισσομένη φθονερούς κινούσα χαλινούς, | ῥήματα δαιομένη καταλεπτολογήσει, | πνευμόνων πολὺν πόνον. Altero Musas invocat, ut certamini interesse velint virorum subtilium et acutulorum; ubi quod vulgo scriptum legitur: ἔλθει' ἐποπόμεναί δύνανται δεινότεροι στομάτοι πορίσασθαι ῥήματα καὶ παραπρίσματα ἐπῶν, id mutandum est sine dubio: legendum potius ῥήγματα, quo restituto verborum *fragmina*, qualia apte tribuuntur Aeschylō, scite et eleganter opponuntur *scobi et ramentis* verborum, quae in Euripidem conveniunt. Et certe confirmatur haec loci emendatio etiam iis, quae v. 911. sqq. de Aeschylō dicuntur: ἀνασπῶν λόγοις αὐτοπρέμοις συσκεδᾶν πολλὰς ἀλινδήθρας ἐπῶν. Sed haec tanquam per occasionem; neque enim id agimus hoc tempore. Tertio igitur loco, quem significavimus, Chorus item reprehendit Euripidem propter dialecticae subtilitatis cum poësi scenica coniunctionem. Nam posteaquam magnis laudibus praedicavit Aeschylum, qui sapientia sua publice privatimque utilis habeatur, Euripidem carpens subiungit haec: χαρίεν οὖν μὴ Σωκράτει | παρακαθήμενον λαλεῖν | ἀποβαλόντα μουσικὴν (h. e. corrupta poësi,) τὰ τε μέγιστα παραλιπόντα | τῆς τραγωδικῆς τέχνης. | τὸ δ' ἐπὶ σεμνοῖσιν λόγοισι | καὶ σκαριφισμοῖσι λήρων | διατριβὴν ἀργὸν ποιῆσθαι, | παραφρονοῦντος ἀνδρὸς. Iam vero cum his criminationibus coniunctum etiam hoc est, quod ei obiiciuntur communes quaedam sententiae, quae ad hominum iudicia pervertenda et corrumpenda valeant. Quale est dictum illud celebratissimum, in Hippolyto obvium: ἡ γλῶσσ' ὁμῶμοχ', ἡ δὲ φρεὶν ἀπάμοτος, quod ridetur v. 101 sq. et 1490 sqq., atque aliud ab Aug. Matthiae Fragm. p. 300. illustratum: τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μὲν ἐστὶ καταθανεῖν, τὸ καταθανεῖν δὲ ζῆν; cuius ratio habita est v. 151. et 1498. quo postremo loco facete subiunguntur haec: τὸ πνεῖν δὲ δειπνεῖν, τὸ δὲ καθεύδειν κώδιον; Quod patet plane ad perstringendam Euripidis sententiam comparatum esse, perinde ac si Germanice dicas: *wer weiss, ob Leben wirklich nicht ein Sterben ist; der Hauch nur Bauchlust, und der Schlaf Schlafmütze gar.* Sed inprimis memorabilia sunt, quae exposita leguntur inde a verss. 1050 sqq., cuius loci

argumentum etiam ideo referre placet, quia non pauca continet, de quibus mox seorsum explicandum erit. Ibi igitur Aeschylus, ubi post longius silentium tandem vehementiore ira in Euripidem excanduit: Multis modis, inquit, o bone, offecisti publicae privataeque saluti. Induxisti enim in scenam vanas et inanes philosophorum argutias, eoque modo effecisti, ut nunc adolescentes, relictis severioribus palaestrae studiis, otiosi in angulis sedeant atque de rebus minutis et exiguis suaviter scilicet garriant; ut cives vulgo loquaces et audaces exstiterint; ut denique etiam servi atque remiges procaces et immodesti habeantur petulantique protervitate dominis suis obloqui audeant. Quibus dictis denique magna cum animi indignatione etiam haec addit: Verum quodnam tandem est malum, inquit, cuius iste non auctor vel administer exstiterit? Induxit enim in scenam scorta impudicissima; induxit mulieres, quae partus eniterentur; induxit sorores nequiter cum fratribus rem habentes; induxit qui vitam palam dicerent non esse vitam; induxit denique ea omnia, quibus mentes animique hominum tanquam labe aliqua pestifera afficerentur. Atque inde etiam evenit, ut civitas nostra ingenti miserrimorum scribarum turba repleta sit, qui quum populo turpiter blandiantur, tamen eundem subdole ac fraudulentem emungant ac spolient; hinc item factum est, ut plurimi cives iam adeo molles et effeminati sint, ut admodum pauci reperiantur, qui satis virium habeant, quo possint in pompis solemnibus faces decore honesteque gestare. Haec igitur Aristophanes; quae sufficient, opinor, ut intelligatur ab omnibus, quam atrocia crimina in Euripidem propterea conferantur, quod philosophandi et disserendi consuetudinem ex scholarum umbraculis in publicam scenae lucem traduxerit. Quaesivisse vero hic iuvabit, num vera sint aut saltem verisimilia, quae adversus eum proferuntur. Quid igitur? exstantne revera apud Euripidem exempla vel documenta eorum, quae apud Aristophanem turpiter ac flagitiose commisisse dicitur? Fuitne ille is, qui hominibus nequam et perditis nebulonibus unice placere deberet? Habueruntne eius fabulae apud Athenienses hanc vim, ut rabulae, ut parricidae, ut denique nefarii ac scelesti homines iis spectandis ad turpes fraudes ac machinationes instituerentur? Indulsi-
sitne poeta philosophorum subtilitati adeo, ut per ipsum maxime effectum dici possit, de quo Aristophanes una cum Platone graviter conqueritur, ut respublica ingenti turba ardelionum et rabularum turpissimorum repleretur atque mentes hominum veri falsique confuso discrimine misere corrumperentur? Nimirum haec omnia si quis sibi persuaserit vere dici de Euripide, eum fidenter iudicare audeamus poetam laudatissimum parum novisse. Qui si quaerimus quidnam sit quod hoc in genere novaverit, res verbis paucissimis declarari potest. Progressus enim ex Prodicii Cei et Anaxagorae disciplina cum poësi tragica philosophiae et artis oratoriae veneres consociavit; qua quidem re apud posteros etiam eximiam quandam consequutus est laudem; merito enim tanquam philosophus scenicus est laudatus propter id ipsum, quod non modo sapientiae praecepta imprimisque Anaxagorae sententias quasdam de scena

prodidit (v. VALCKENAR Diatr. Cap. V. p. 34 sqq. et C. VI. p. 45. sqq.) et ad maiorem hominum celebritatem perduxit, verum easdem etiam insigni orationis suavitate ac dulcedine veluti conditas audientium animis instillavit. Quamquam fatendum est utique, id quod nostrates inprimis reprehenderunt, eum in usu philosophiae et artis oratoriae non nihil peccavisse, nec plane liberum et immunem mansisse ab aetatis vitiis, siquidem oratoriae declamationi atque philosophorum acumini interdum tribuit plus, quam artis scenicae ratio permittere videatur. Fecit enim subinde personas, quas in scenam induxit, sapientiam ab Anaxagora acceptam longis orationibus decantantes, id quod pulcre demonstrat VALCKENARIUS ll. cc.; fecit easdem dialecticorum more disputantes arguteque altercantes, imo etiam tanquam in iudicio inter se concertantes, ut spectatores tanquam orationibus iudicialibus utrinque de iure habitis oblectari possent; cuius rei causas rimati sunt PORSONUS Praelectt. in Eurip. Adversar. p. 14. ed. Lips. VALCKEN. l. d. Cap. XI. p. 120. et Cap. XXIII. p. 259 sqq.; induxit illas porro creberrime acute dicta iacentes communibusque sententiis utentes, quibus animi audientium vehementius percellerentur, unde a QUINTILIANO Institut. X. l. 68. vocatur densus sententiis et in iis, quae a sapientibus tradita sunt, ipsis paene par; denique se saepe gessit oratorem ac philosophum pro tragico, ut multa in tragoedias satis acute quidem, sed parum tragice transtulerit. Verum enim vero haec omnia etsi merito suo pro vitiosis habentur, quandoquidem scenicae artis legibus adversantur multis nominibus; tamen nequiquam sunt eiusmodi, ut valeant ad turpitudinis vel improbitatis commendationem, siquidem in iis nihil nisi subtilitatis studium quoddam cernitur per se certe plane innoxium illud nec ulla ratione perniciosum. Quid quod plurima etiam paratam habent excusationem per mores et consuetudinem Atheniensium, qui minime semper in iis offendebant, quae nobis displicere solent. Quorsum pertinet ex parte quidem illa ipsa subtilior colloquendi ac disserendi ratio, quae interdum argutae altercationis speciem refert. Etenim tale sermonum acumen Athenienses, iudiciorum concertationibus assuefacti atque omnino φιλολόγοι καὶ πολυλόγοι, ut ait PLATO Legg. I. p. 641. E. mirifice amabant, ut mirum non sit illud etiam in scenam migravisse. Quocirca ne Sophocles quidem eo abstinuit, cuius ipsius mos hoc in genere etiam nuper admodum insolens visus est nostris hominibus, quum acta est Antigona in scena Lipsiensi. Neque etiam frequentior communium dictorum usus per se scenae fuit incognitus aut populo Atheniensi molestus. Quem ut Euripides ceteris magis frequentaverit, de qua re v. VALCKENAR. Diatrib. c. XXIII. p. 250 sqq., tamen nequiquam ita ei indulsit, ut ea re morum honestatem aut castitatem laeserit. Nam huic quod dictorum nonnullorum turpem ambiguitatem crimini vertunt, ea profecto, si verum quaerimus, mera est calumnia, ab uno maxime Aristophane profecta; qui quum odisset istud sententiarum acumen, quo usus est Euripides, unam alteramve sententiam, crebris fortasse sermonibus usurpatam, protervo ludibrio in alienum detorsit sensum eoque

modo rem sibi odiosam ridendo in invidiam perducere studuit. Pertinet hūc sine dubio illud ipsum: ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρενὶν ἀπώμοτος, quod supra vidimus aliquoties in Ranis perstringi, et quo etiam PLATO usus est tanquam proverbio sed sine cavillatione, Sympos. p. 199. A. et Theaet. p. 154. D. De aliis v. HUG. GROTIUM De iure belli ac pacis lib. II. 13. interpr. ad CICERON. Offic. III. 29. Etenim veram Euripidis mentem qui penitus perspexerint, hi facile intelligent, neutquam Hippolytum ita loquentem ab eo induci, ut iurisiurandi religionem impie violandam censeat, sed potius sic, ut se iusiurandum illud, quo iam obstrictus teneatur, imprudentem atque invitum praestitisse significet. Quamobrem in summam coniectus animi desperationem denique in illa verba erumpit, quae tam gravem reprehensionem experta sunt. v. Hippolyt. v. 594 sqq. Sed idem ille, quamquam sero animadvertit se nutricis fraudibus circumventum esse, tamen vel sic fidem sibi servandam potius quam vitae consulendum esse statuit. Quis igitur est, quin sponte videat, praeter culpam Euripidis factum esse, ut eius verbis turpis et inhonesta sententia subesse iudicata sit? Ac similiter statuendum est etiam de duobus aliis versiculis, qui in Ranis tanquam inepti et morum honestati vel iudicii sanitati perniciosi notantur. Nam notissimum illud: τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μὲν ἐστὶ κατθανεῖν κ. τ. λ., de quo praeter alios v. VALCKEN. Diatr. p. 17. et MATTHIAE Eurip. Vol. IX. p. 300. sq., etiamsi per se seorsum spectatum et ab reliqua oratione avulsum nonnihil ambiguitatis habere videatur, tamen ubi accuratius consideraveris, nihil certe in eo reperies, quod a recta ratione abhorreat aut mentis integritati damnum aliquod comminetur. Verum reverti aliquando placet ad id, unde supra degressi sumus. Apparere enim iam putamus clarissime, quidquid criminis in Euripidem propter philosophiae et rhetoricae cum poësi scenica coniunctionem non immerito conferri possit, id denique redire eo, quod quum omnino philosophum de scena egerit, tum imprimis argutam subtilemque sermocinationem in eam induxerit, qualis iudiciorum potius consuetudini aut philosophorum scholis quam scenae usui convenire videatur.

Iam vero haec si probabiliter disputata sunt, quaesivisse sane operae pretium erit, cur tandem Aristophanes poëtam tragicum tam gravibus criminibus ideo oneraverit tantisque insectatus sit conviciis. Et illud quidem putamus ultro ab omnibus concessum iri, in magno opinionis errore versatos eos esse, qui id censuerunt propterea factum esse, quod poëta comicus Euripidem revera talem esse iudicaverit, qualem in Ranis descripserit. Quis enim sibi persuadeat, hominem acutissimum tanto mentis errore fuisse occaecatum? Neque illos audiendos arbitramur, qui eum non serio, sed mera ridendi cavillandique lubidine ductum Euripidi petulantius insultavisse censuerunt. Nam ut concedamus, quod utique concedendum est, homines facetos et iocosos saepenumero ne iis quidem parcere, quos alioquin suspiciunt, si modo sua iacere possint dieteria, tamen istam quidem immanem propemodum dixerim animi intemperiam, si Comicus etiam mortuum Euripidem isto modo proscindere non vere-

cundatus sit. Nimirum nititur res caussis et rationibus omnino aliis. Nos enim si quid iudicare possumus, Aristophanes inducto Euripide suo, non quidem ad veritatis fidem informato illo, sed ad verisimilitudinis speciem potius instituto, nihil aliud spectavit, quam ut per eius personam simul et reliquos poëtas tragicos fabulas suas item philosophiæ et rhetoriæ fucō contaminantes et universos Athenienses per novitiæ disciplinæ studia ad vitia otiosæ garrulitatis, astutæ fraudulentæ, argutæ maledicentiæ, in dies magis prolapsos exagigaret atque castigaret. Neque enim ipsum præteriit, de quo ei etiam cum Platone convenit, disciplinam sophistarum atque oratorum ad alenda atque propaganda ista vitia omnia maximam vim habuisse; unde etiam artes eorum passim acerrimo sale perfricuit. De qua re præter alios locos v. inprimis Vesp. v. 420 sqq. Avv. v. 674. 1680 sqq. Nubb. v. 99. sqq. 300 sqq. 962 sqq. 1680 sqq. collato Platone Prot. p. 316. C. Hipp. mai. p. 296. h. Men. p. 73. C. Gorg. p. 466. B. De Rep. II. p. 358. C. sqq. III. p. 405. h. B. C. Theæt. p. 172. E. sqq. Quamquam quod eum hac in re diximus cum Platone consentire, in magna quadam iudiciorum convenientia tamen ab hoc dissensit plurimum. Nam philosophus quum probe distinxerit insanientem sapientiam a vera germanaque philosophia, Comicus, nullo facto rei discrimine, sicuti hodie quoque facere non pauci solent, totum istud *philosophari* magnopere improbavit et contemptui habuit, ideoque omnes omnino philosophos derisit, perstrinxit, vellicavit. Nimirum hos omnes censuit, inducta quaerendi, disputandi, dubitandi denique consuetudine id effecisse, ut pristina cogitandi sentiendique simplicitas tolleretur, eaque sublata inanis curiositatis, petulantis dicacitatis, denique frivoliæ nequitiae et turpitudinis cupidini veluti fenestra aperiretur. Quod quidem malum tanto tulit, indignius quod illud adeo per poësin tragicam vidit latius disseminatum esse. Nam poëtae tragici quum sese omnino ad magnæ multitudinis studia et cupiditates coepissent accommodare, auram scilicet popularem captantes (v. PLAT. Gorg. p. 502. Legg. II. p. 658. D.), tum etiam philosophandi orandique consuetudinem susceperant, quo magis audientium plausum ferrent. Quorsum pertinent versus Rann. 89 sqq. *οὐκοῦν ἕτερόν ἐστιν ἐνταῦθα μειρακύλλια τραγωδίας ποιοῦντα πλεῖν ἢ μυρία, Εὐριπίδου πλεῖν ἢ σταδίῳ λαλίστερα*; Adde etiam quæ de Agathone Gorgianæ eloquentiæ studioso leguntur PLAT. Symp. p. 195. coll. 198. B. C. ARISTOPH. Thesmoph. v. 49—62. AELIAN. Varr. Hist. XIV. 13. Hanc igitur poëtarum tragicorum cohortem iuxta eum iŕsorum duce et antesignano haud pridem mortuo Aristophanes, oblata temporis opportunitate, ita carpere et perstringere constituit, ut simul corripenter Athenienses atque his ipsis illustriore aliquo exemplo in scena ostenderetur, quosnam fructus novitiæ ista sapientiæ in animis eorum extulisset. Pertinent igitur ea, quæ paullo ante narravimus in Euripide tanquam vitiosa notari, maxime eo, ut non solum vitia quædam poëtae tragici arguantur, verum etiam Atheniensibus acerba quadam dicacitate ostendatur, quousque ipsos ista philosophandi disserendi, orandi, denique consuetudo,

a philosophis et oratoribus profecta, aut saltem nutrita latiusque propagata, denique perduxerit: corruptos enim per illam esse hominum mentes et animos, atque iis vitiis omnibus affectos, quae ex perverso callide argutandi arguteque disserendi studio nasci potuisse videantur. Quod si tenemus, haud sane difficile intellectu est, quamobrem Euripidi ea potissimum crimina inferantur, quae hoc nomine in ipsum conferri paullo ante vidimus. Quod enim arguitur ille homines fabulis suis docendis reddidisse garrulos et nugaces, fuit hoc crimen vulgo philosophis omnibus obiectum, qui ob id ipsum etiam *ἀδολεσχαί* solebant appellari. De qua re v. PLAT. Apol. Socr. p. 10. B. 26. B. C. Phaedr. p. 270. ff. Reip. VI. p. 459. C. Politic. p. 299. et quae exposuerunt HEMSTERHUISIUS Anecd. Vol. I. p. 21 sqq. ed. Geel. RUHNKEN ad Xenoph. Mem. I. c. 2. §. 31. REISIG. Praefat. ad Nubb. p. XXVIII. Porro quod adolescentes dicitur a vita actiosa avocasse avocatosque ad gerenda vitae communis negotia ineptos reddidisse, id similem habet explicationem. Etenim qui in philosophiae studiis actatem degebant, hi vulgo putabantur non modo ipsi homines tristes, austeri et ad usum atque consuetudinem vitae inepti esse, sed etiam adolescentes, inprimis disciplinae suae deditos, ad similem perversitatem instituere; quamobrem magnae multitudinis iudicio plerumque ridiculi habebantur, quantumvis eorum familiaritas et consuetudo alioquin a plurimis expeteretur. v. Nubb. v. 1054 sqq. et PLAT. Theaet. p. 173. C. sqq. Gorg. p. 456. A. B. Sophist. p. 216. D. Phaedon p. 64. Nec iam obscurum erit, quamobrem ei etiam hoc vitio detur, quod philosophandi ac disserendi subtilitate sua rabulis, furibus, parricidis, denique sceleratissimis quibusque hominibus gratus acceptusque extiterit. Etenim perstringuntur ita verbis asperioribus Athenienses, qui mala ambitione, honorum cupiditate, denique prava lubidine ducti sophistarum atque rhetorum disciplinam cupidissime sectabantur, quo facilius scilicet per novae disciplinae rationem eas artes condiscerent, quibus ad honores, ad divitias, ad auctoritatem denique et potentiam in civitate perveniretur, adeoque melius miserandae illi rixandi litigandique cupiditati suae posset satisfieri, quae quum alibi tum Avv. v. 109 sqq. Pac. v. 505. Nubb. v. 209. Vesp. v. 85. 650. al. in iis acerbe reprehenditur. Sophistae enim non modo virtutis civilis tradendae artem profitebantur, verum etiam gloriari solebant, quaecumque res infinite posita esset, de ea se dicturos, atque etiam aliis dicendi et cum populo agendi facultatem impertituros esse. Quo factum est, ut plurimos ad se allicerent, inprimis adolescentes laudis atque honoris cupidos, allectosque et in disciplinam suam receptos denique ad nihil aliud erudirent, nisi ad id ipsum, quod illi ultro sibi expetebant, ut callidi, ut versuti, ut in dicendo atque disserendo exercitati existerent. v. PLAT. Prot. p. 316. C. Hipp. mai. p. 296. A. Men. p. 75. C. Reip. II. p. 358. Euthydem. p. 290. A. Tim. p. 88. A. Reip. V. p. 454. Gorg. p. 447. C. 462. A. B. Theaet. p. 152. A. al. Denique etiam reliqua, quae Euripidi propter philosophiae atque dialecticae in scena usum exprobrari antea vidimus, eodem fere pertinere iudicanda

sunt. Valent enim omnino eo, ut non modo, quid Comico in Euripidis fabulis illo nomine displicuerit, patefaciant, verum etiam doceant, quam noxia et perniciosa ei visa sit novitiae disciplinae ratio, quae etiam in scenam invecta per omnes reipublicae partes dimanavisset. Sed haec omnia dilucidius exponere non putamus necessarium: speramus enim, vel ex iis, quae disseruimus, perspicuum fore, quidnam Aristophanes in eo sequutus sit, quod Euripidem finxit eum, qui inducta in tragoediam philosophia et arte oratoria mentis et iudiciorum sanitati atque integritati plurimum damni intulerit. Quamobrem iam tandem ad aliud quid pergere licebit, quod cum iis, de quibus explicavimus, arctissimam sane habet coniunctionem, quodque Aristophani item ad acerbam reprehensionem ansam praebuit.

Fuit enim cum novitia philosophorum disciplina etiam hoc nexum atque copulatum, quod per eam aucta est patriorum deorum contemptio et impietatis licentia. Nam ex quo per Thaletem imprimis atque Anaxogoram puriores de diis sententiae defensionae ac propagatae erant, continuo etiam extiterunt, qui vim numenque divinum penitus tollerent adeoque omnem pietatem adversus deos funditus deletum irent. Quod quidem a Sophistis potissimum eorumque assectatoribus ita factum esse, certissimo constat Platonis testimonio, qui de nefaria ista impietate non uno loco conqueritur, veluti Legg. X. p. 885. sqq. 888. E. XII. p. 966. D. E. Sophist. p. 265. C. Phileb. p. 28. C. sqq. in primis p. 29. A.; constat item ex fabulis Aristophanis, quem cum alibi, tum in Nubibus scelestas istas opiniones acerbissime explodere meminimus. Hanc vero impietatem a doctrina Sophistarum potissimum profectam Comicus etiam Euripidi tribuit, quem eo nomine, sicuti alibi, ita etiam in Ranis carpit aliquoties. Nam loco illo nobilissimo, ubi certaminis ab utroque poeta committendi initium instat, Aeschylum quidem fecit invocantem Cererem patriam, Euripidem autem lepidissime iussit preces facere ad deos novitios, Aetherem, Linguam, Suadam, Mentem, Nares, adeoque aperte profiteri haec: *ἔτεροι γὰρ εἰσιν οἷσιν εὐχομαι θεοῖς*. Vid. verss. 892—900. Eodem pertinent verba Dionysi v. 309. 10. *τίν' αἰτιάσομαι θεῶν μ' ἀπολλύναι; αἰθέρα Διὸς δομάτιον ἢ χρόνον πόδα;* quibus Euripidem notari liquidum est ex vers. 100 sqq. ubi v. intpp. Ac plane eodem modo carpitur Euripides etiam Thesmoph. v. 14. v. 272. et v. 450. ubi naturae vires in deorum locum suffecisse arguitur et a mulieribus tanquam ἄθεος accusatur. Nec vero difficile est intelligere, quo iure Comicus ista fingere et comminisci potuerit. Euripidem enim satis constat inveteratas de diis opiniones utique deseruisse atque adeo subinde vulgarem superstitionem de scena inusitata oris libertate impugnavisse. Amplexus est enim sententiam Anaxagorae, quem exploratum habemus huic rerum universitati mentem divinam praefecisse, cuius vi omnia ordinarentur, regerentur, gubernarentur. De qua re copiose exposuerunt VALCKENAR. Diatrib. p. 37. sqq. I. I. ZIMMERMANN. De theologia Euripidis, in Mus. Helvet. Part. XVI. Turic. 1750. p. 1—29. SCHNEITHER. De Euripide philosopho, Groening. 1828. 8. p. 21

sqq. BOUTERWECK De philosophia Euripidea, in Comment. Societ. scient. Goetting. rec. Vol. IV. p. 20. sqq. Verum enim vero ita licet statuerit poëta, tamen tantum abest, ut numen divinum plane sustulerit aut impietatem in deos patrios, suffectis in locum eorum naturae viribus, vel commendaverit vel auxerit et amplificaverit, ut de natura divina senserit plane magnifice, talesque prodiderit sententias, quas legentes etiam hodie maxima voluptate perfundamur necesse est. Longum est et a consilio nostro alienum, quae huc revocari possint, undique studiose conquirere atque ordine deinceps enarrare, praesertim quum potiora iam a viris doctis, quos honoris caussa nominavimus, sedulo sint collecta, imprimis a VALCKENARIO t. c. p. 38 sqq. — p. 41. ed. Lips. Hoc unum monuisse iuvabit, convenisse in hac quoque re poëtae tragico egregie cum summo philosopho Atheniensi, qui vulgares de diis fabulas quum aliis de caussis damnavit, tum etiam propterea abrogari vel saltem procul a civitate sua haberi voluit, quod homines per eas ad maxima quaeque flagitia incitarentur. Audias enim *Eurip.* Ion. v. 452 sqq. οὐκέτ' ἀνθρώπους κακῶς λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ θεῶν κακὰ μιμούμεθ', ἀλλὰ τοὺς διδάσκοντας τὰδε. *Iphigen.* Taur. p. 381 οὐδένα-οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν. *Fragment. Belleroph.* 25. p. 112. ed. Matth. εἰ θεοὶ τι δρῶσιν αἰσχρόν, οὐκ εἰσὶ θεοὶ. et contendas cum his illa PLATONIS De Rep. II. p. 378. B. Quid igitur? qui tandem factum esse dicemus, ut Aristophanes hominem nentiquam impium, sed potius innocentem et a veteris religionis turpitudine sanioris philosophiae monitis avocatum tam acerbis criminibus lacessiverit et insectatus sit? Enimvero factum id esse aiunt propterea, quod poëta comicus avitam religionem summa reverentia sit prosequutus, indigneque tulerit, quod venustissimae illae mythologiae narrationes, non modo exornandis fabulis aptissimae, verum etiam ad hominum animos magni excelsique sensu perfundendos maxime idoneae, per philosophiae ipsi suspectae et invisae commenta a scena tanquam depulsae et eiectae sint; in qua sententia praeter alios etiam FR. GUIL. SCHLEGELIUM fuisse intelleximus. At enim vero primum quidem exploratum habemus, ne ipsum quidem Aristophanem avitae superstitioni pepercisse, qui saepissime ludibrii gratia etiam ea ad ridiculum traduxit, quae vulgo pro sanctis et inviolabilibus habebantur. An vero eum, qui patriam religionem pie amplexus sit, putabimus scribere potuisse, quae in *Ranis* passim de Hercule et Baccho, aut in *Avibus* v. 1635 sqq. de spuris Iovis filiis proferuntur? Nimirum ista omnia ut risus movendi caussa ab eo conficta sint, tamen non sunt eius, qui religionem patriam pia mente suspexerit eiusque contemtionem ex animo indigne tulerit. Deinde ne verum quidem est quod Euripidem dicunt deos patrios a scena exulare iussisse: qui etiamsi ex animi sententia unum tantum statuit numen divinum, tamen prudenter nec populares deos inde removit, sed aequalium opinionibus et veteri consuetudini aliquid tribuens constanter retinuit. Neque vero ipse Aristophanes eum usquam accusavisse reperitur propterea, quod poësi dramaticae pulcherrimum scilicet fabularum ornamen-

tum tanquam bellam aliquam vestem detraxerit. Quocirca haec neququam sunt caussae illae et rationes, quibus commotus Comicus Euripidi impietatis licentiam vitio dederit. Imo ille longe aliud quid hac in re videtur sequutus esse. Quod quale sit, ex universae fabulae rationibus non tam perspicere quam conicere licet. Etenim nos si quid iudicare possumus, poeta ne hic quidem unum Euripidem voluit notare aut in magnae multitudinis invidiam atque odium adducere, sed tecte potius universos Athenienses corripuit, qui abiecta pristina credendi simplicitate relictaque patria in deos reverentia non modo impiam sophistarum doctrinam animis suis suscepissent, verum etiam ad incredibilem quandam prolapsi essent publicorum deorum contemptum. Nam Athenienses quousque impietatis tunc processerint, id poeta ipse quum alibi tum maxime in *Avibus* docet, quae fabula, sicuti alio tempore ostendemus, inprimis etiam ad arguendam eorum frivolum in deos petulantiam comparata est. Haec igitur vitia exagitaturus Aristophanes callidissime Euripidem, quem aegre ferret liberius de rebus divinis in scena philosophari, talem informavit, qui, quum Anaxagorae de deo sententiam comprobaret ac praeterea saepe illius placita de rerum natura inculcasset, numina sophistica subtilitate inventa et excogitata venerari videretur. Quod quidem commentum tanto maiorem verisimilitudinis speciem referre potuit, quod doctrina Anaxagorae maxime in explorandis naturae viribus versata est. Quamquam quod aetheris mentio fit, id simul pertinet ad deludendam illam rationem, qua Euripides eum tanquam rerum omnium genitorem subinde memorat; de qua re exposuit VALCKENAR. *Diatrib.* p. 45 sqq., qui inter alia affert p. 47. ὄρας τὸν ὑποῦ τὸνδ' ἀπειρον Αἰθέρα; τοῦτον νόμιζε Ζῆνα· τὸνδ' ἡγοῦ θεόν. conf. REISIG Praefat. ad Nubb. p. XV. Addimus Rann. v. 100. 311. et 891. Thesmoph. v. 272. ibique Schol. *Fragm. Eurip. Chrys.* VII. ubi est *Διὸς αἰθέρα* et *Fragm. inc. CXXVIII.* ap. Matth. Ac similiter etiam chorus Nubium in fabula cognomine v. 560 sqq. dum inter hymnos passim proterva in deos iacit dieteria, Aethere invocat ὡς *μυγαλώννμον πατέρα σεμνότατον*: quibus verbis apertum est pariter atque in Ranis corripit Socratem iuxta cum Euripide. Haec igitur omnia qui secum diligenter perpenderint, hi certe non improbable aut veridissimile esse largientur, quod nos statuimus, etiam crimen protervae impietatis in Euripidem conferri sic, ut simul pungantur Athenienses, qui non modo deseruissent priscam in deos reverentiam et pietatem, verum etiam sophisticarum opinionum levitati immoderatus indulgere coepissent. Nimirum hac rerum condicione fieri sane non potuit, quin imagine Euripidis istius ob oculos posita omnes communem lateque diffusam impietatis pestem ipsi commoneferent.

Sed pergamus ad tertium quiddam, quod in Euripide reprehenditur sic, ut, quamvis pars culpa in ipso haereat, tamen Athenienses item in criminis communionem venire existimandi sint. Dicitur enim Euripides morum probitatem atque castitatem etiam eo corrupisse, quod fabulis suis turpitudinem mollitiei ac nequitiae non

mediocriter auxerit atque foverit. Quo nomine plurima sunt quae ei non sine magna quadam exprobrantur acerbitate. Vituperatur enim ab Aeschylō vers. 1024 sqq., quod eos, qui olim fuissent fortes, strenui, denique probi et honesti, ad effeminatam molliem turpemque ignaviam deduxerit, quandoquidem ciendis amoris, miserationis, metus etiam ac timoris affectibus id potissimum spectaverit, ut sensus audientium quam vehementissime percellerentur aut suaviter titillarentur, nec vero probitati eorum ac virtuti providerit, quod tamen maximum esse boni poëtae munus et officium. Quam in rem contulisse iuvabit vers. 1119. *ἀπόχρῃναι μοι, τίνος ἔνεκα κ. τ. λ.*; vers. 1040 sqq. et 1064 sqq. Accusatur porro, quod induxerit in scenam mulieres impudicas et adulteros, scelera sua et flagitia callidis argumentationibus defendentes atque vitiis apertis honestatis nomen obtendentes. Quorsum pertinent quae leguntur v. 857. *γάμους δ' ἀνοσίους ἐσφέρων εἰς τὴν τέχνην*, inprimisque illa v. 1059 sqq. et 1054 sqq., quo loco poëta tragicus maxime propter inductos Bellerophontes, Phaedras et Sthenobocas exagitur. Praeterea reprehenditur gravissime, quod heroes, reges, principes, omni poësis dignitate neglecta, induxerit sordibus squalentes, laceris vestibus indutos, claudicantes, oculorum acie privatos, denique omni miseriae genere oppressos, ut scilicet miserabilibus eorum querelis et lamentationibus audientes flecterentur ad misericordiam vel in lacrimas effunderentur. Quod vitium ridet Aristophanes Rann. v. 848 sqq., ubi Euripides ideo vocatur *πρωχοποιὸς καὶ ῥακιοσυρῥαπτάδης* et v. 1074 sqq. *πρῶτον μὲν τοὺς βασιλεύοντας ῥάκι' ἀμπίσχων, ἰν' ἔλεινοὶ τοῖς ἀνθρώποις φαίνοντ' εἶναι, κ. τ. λ.*; explosit etiam Acharnens. v. 404 sqq. 448 sqq. 462 conf. Pac. v. 147. Equitt. v. 815. Nubb. 921. Nimirum isto modo dicitur evenisse, ut homines, obtusis sensibus animi sanioribus, vulgo talis miseriae spectaculis etiam oblectarentur. Denique arguitur istis artibus suis etiam protervitatem, petulantiam, impudentiam, alia id genus vitia aluisse, quemadmodum intelligi licebit ex v. 1080 sqq., qui tamen locus longior est, quam ut huc commode transcribatur. Nimirum sunt haec omnia profecto eiusmodi, ut magnam certe partem in Euripidem conveniant, quamquam Comicus ea per superlationem mirifice adauxit et exaggeravit. Nam poëta tragicus quum omnium sapientium iudicio in ciendis movendisque animorum affectibus plane admirabilis extiterit, tamen usus subinde ad illos excitandos iis artibus est, quae tragoediae naturae atque dignitati non omnino consentaneae sint. Quorsum illud ipsum pertinet, quod non dubitavit reges et heroes mendicantes ac misere lamentantes in scenam inducere, velati Bellerophontem, Oeneum, Telephum, Phoenicem, alios; de quibus v. Acharnens. v. 400 sqq. Vesp. v. 1414 sqq. Thesmophor. v. 903 sqq. ibique intpp. coll. VALCKENARIO Diatrib. in Eurip. Fragm. c. XIX. XX. XXIV. al. Hoc enim quamobrem displicere debeat, caussa in promptu est. Nam hominum fati acerbitate afflictorum nec fortunae telis fortiter resistentium molles querelae nec audientium animos erigunt, sed potius deprimunt et ad ignaviam vel desperationem abiiciunt, quod apertum est

tragoediae fini et consilio omnino adversari. Idem non sine causa reprehenditur, quod in scenam produxerit amores mulierum parum honestos, Phaedrae, Sthenoboeae, Menalippae, Cressae, Alopes; quodque adeo lubricitates earum tanquam ob oculos positas depinxerit. Quamobrem ei etiam per cavillationem quandam obiectum videtur acerrimum odium in mulieres, de quo v. VALCKENAR. l. c. c. XXIV. et WELCKER. annot. ad Rann. German. p. 248 sqq. Quid quod adeo incesta matrimonia in scena repraesentavit, veluti nuptias Macarei cum Canace sorore, de quibus v. intpp. ad Nubb. v. 1375 et nuptias Aeoli filiarum cum suis ipsarum fratribus initas, quas illustrant intpp. ad Rann. v. 849. De aliis id genus rebus v. intpp. ad Thesmoph. v. 553. et Rann. v. 1041., ubi fallitur Scholiastes Phaedrae mentionem ad cognominem aliquam Euripidis fabulam referens, quum ad Hippolytum pertineat, sicuti dudum monuit VALCKENAR. l. c. p. 16. Etenim talia quamobrem commereantur notam censoriam, quis est paullo humanior, quin semel admonitus protenus ipse sentiat? Nam turpitudine cupiditatum sine ullis obtegumentis certe nunquam in hominum conspectum produci debet, quoniam ita sensus humanitatis non acuitur, sed potius laeditur atque obtunditur. Quamquam hodie quoque non pauci reperiuntur inter nostros poetas, qui si isto modo vim affectuum et perturbationum in spectantium animis excitare et commovere queant, sibi continuo videantur tragici prorsus eximii extitisse. Multo certe sapientius, opinor, Plato, qui De Rep. III. p. 395. D. E. istiusmodi artificia a fabulis scenicis plane remota esse voluit. Porro nec omnino vana sunt, quae de aucta per eiusmodi artes animorum humilitate adversus Euripidem disputantur, quandoquidem is Telephum aliosque finxit eos, qui de tristi rerum suarum fortuna subtiliter philosopharentur garruleque mendici essent. v. de Telepho VALCKENAR. c. XX. p. 210 sqq. et MATTHIAE Eurip. Vol. IX. p. 339 — 346. Quis enim neget istiusmodi miseriam cum garrulae subtilitatis ostentatione consociatam haudquaquam ad generosos et excelsos animi sensus nutriendos valere?

Verum enim vero quum ita facile appareat, non sine causa Euripidem vituperari, quia ascita in tragoediam mollitudine vitiorum turpitudinem adiugerit, tum indidem etiam intelligi licebit, quatenus haec reprehensio etiam ad Athenienses pertineat. Hi enim quum per Bacchi personam etiam ob vitia mollitiae, luxuriae, nequitiae rideantur adeoque v. 52 sqq. ludantur, quod suavem istam blandamque poësin Euripideam unice sibi expetant, facile apparet propositam Euripideae poësis imaginem ac picturam simul etiam ad notandam communem Atheniensium mollitiem ac nequitiam comparatam esse, qua ipsa fiebat, ut illi istiusmodi sensuum illecebris, quales habebant fabulae Euripidis, mirum quantum oblectarentur. Nempe callidissime Aristophanes hic quoque sic versatus est, ut quorsum acerba ista Euripidis castigatio pertineat, vix leviter significaverit. Quamquam, quod dixit, homines per illum tales factos esse, quales eos in tragoediis suis finxisset, id neutiquam caret aculeo. Nimirum

poëta, si verum quaerimus, scito lusu invertit veras rei rationes, quandoquidem Euripides potius per aetatis suae sentiendi faciendique rationem et consuetudinem talis extiterat, qualis postea extitisse visus est. Quamquam vicissim per fabulas suas auxerat ista vitia, quibus ipse imprudens erat infectus.

Iam vero cum his cognata sunt quodammodo etiam ea, quae exponuntur a Comico de affectata temere mollitudine ac teneritate carminum pariter atque numerorum et modorum musicorum, quae in fabulis Euripidis dominetur. Tangitur hoc mollitudinis vitium ex parte iam vers. 52., ubi Bacchus effeminatus ac lubricosus sese fatetur Andromedae Euripideae, hoc est mollissimae fabulae (v. Thesmoph. v. 1009 — 1156.), lectione maximo poëtae nuper mortui desiderio affectum esse; qui totus locus acerrimis salibus perspersus est et quasi conditus. Sed copiosius res tractatur, melicorum imprimis carminum habita ratione, inde a vers. 848 et 1275. Ibi enim Euripides, Aeschylum delusurus, primum ex variis eius tragoediis tanquam centonem carminis aliquem consuit obscuris horridisque sententiis atque vocabulis refertum eoque nomine valde sane ridiculum, praesertim quum etiam una eademque sententia paene ad taedium usque repetatur. Deinde vero cantica eius tanquam rudia et incondita perstringit, quippe quae habeant modos vulgares, tritos, plebeios. Quam quidem iniuriam Aeschylus ulciscitur acerbissime. Accessit enim protenus anum quandam edentulam, quae fictili crepitaculo ad carmen aliquod melicum Euripidis modos faciat ac deinde etiam canat monodiam, artificiose quidem ad illius imitationem compositam, sed eandem ita comparatam, ut quum sensus exprimere videatur mollissimos ac tenerrimos, tamen ineptae fatuitatis longe sit plenissima omnique sententiarum veritate careat. Nempe ita demonstratur, Euripidem utpote poëtam mollem, fannulum, enervem, quum omnino tum imprimis in melicis carminibus tantum tribuisse tenerae suavitatis gratiae, ut ne sententiarum quidem veritatem curaverit, numeros autem affectata nimis dulcedine ac varietate misere pessumderit. Atque eodem nomine carpitur etiam Cinesias, poëta dithyrambicus, quum alibi tum in Ranis v. 153 sqq. Nec vero negari potest isto modo reprehendi in Euripide, quod iure in ipso reprehendi potuit; quamquam hic quoque crimina aucta sunt ridicule et ad eam magnitudinem usque exaggerata, quae ab ipsa veritate aliena est. Sed multum abest, ut ista vitia in unum cadant Euripidem, ut is ipsam aetatem suam culpae sociam habuerit. Dudum enim haec labes invaserat civitatem, ut poësis pariter atque musica per aetatis ad mollitiam prolapsae studia mirum quantum depravarentur. Nam, ut primum dicamus de musica, experta erat haec iam inde ab iis temporibus, quibus una cum opibus ac divitiis etiam luxuria et mollities in civitate proruperat, mutationem longe gravissimam. Quippe coepta ea tunc erat, sublata prisca simplicitate atque integritate, ad unam maxime suavitatis et incanditatis varietatem attemperari, quo magis scilicet sensus audientium suaviter titillarentur. Quod quomodo evenerit, quum alii scriptores memoriae pro-

diderunt, tum Plato imprimis locis compluribus narrat. Etenim varia cantuum genera, quae olim fuerant inter se disiuncta ac seperata, tunc confundi coepta erant et quasi perturbari; modi et harmoniae quam maxima sonorum varietate instructi; iudicium de musices praestantia et virtute non ad viros doctrina et sapientia praestantes, sed ad populi multitudinem delatum; denique omnia ita instituta, ut sublata mascula illa granditate ac simplicitate uni voluptati audientium consuleretur. Ex quibus omnibus denique evenerat, ut ars praestantissima, quae olim nutriendis honestis et generosis sensibus inserviisset, iam perditae cuiusdam mollitiae famula fieret. Loci Platonis primarii, quibus de hac re explicatur, sunt Legg. III. p. 700. A. sqq. coll. II. p. 658. E. Gorg. p. 501. D. sqq. Polit. p. 288. C. De Rep. III. p. 399. C. IV. p. 336. VI. p. 424. quibuscum contulisse iuvabit Comici Nubb. v. 332 sqq. 963 sqq. 971. Avv. 334 sqq. et quae exposuerunt BARTHELEMY, Itiner. Anachars. Vol. III. p. 85 sqq. ed. Biester. HEINRICH. Epimenid. Cret. Epimetr. PFLUGK. Praefat. ad Eurip. Vol. I. P. IV. p. XIX sqq. Nec vero aliter factum poësi erat, imprimis melica et dithyrambica, quae natura sua maxime ciendis animorum affectibus inservit. Nam haec quoque pristina maiestate sua paullatim spoliata ad mollem quandam teneritatem erat prolapsa, ita quidem, ut simul cum ipsa nescio quae exilitas et ieiunitas coniungeretur, quae haberet sententias ab dignitate et granditate tragoediae plurimum abhorrentes. Quippe omnino tunc hic mos invaluerat, sicuti in ceteris artibus, ita etiam in poësi, ut omnia ad sensuum gratiam atque venustatis commendationem referrentur; cf. PLAT. Legg. II. p. 618. E. sqq. III. p. 700. A. Gorg. E. p. 501 sqq., ubi taxatur Cinesias. De Rep. III. p. 398. D. sqq. (B. 501. E. sqq.). ARIST. Nubb. v. 962 sqq. Avv. 1378. Rann. 152. 1485. al. Quid igitur? qui tandem fieri potuit, ut Aristophanes istud crimen affectatae mollitudinis in unum solum Euripidem conferret, alios fere silentio praetermitteret? Nimirum factum hoc ideo ab eo est, opinor, quia instituta Euripidis vituperatione censuit omnes omnino eius aequales, qui talibus studiis indulgissent, correptum iri. Ostendit enim his uno aliquo eoque illustri exemplo, etiam praestantissimas artes, poësin et musicam, communi ista vitiositatis labe affectas esse. Cuius quidem accusationis vis et magnitudo quanta videri debuerit, facile intelligent, qui maximam fuisse apud veteres poëseos et imprimis musicae cum republica conjunctionem meminerint, ut adeo non defuerint, qui una cum poësi atque musica etiam bonos mores praecipites ire coepisse arbitrarentur. v. ARISTOPH. Nubb. v. 962 sqq. PLAT. Reip. IV. p. 424. B. C. εἶδος γὰρ καινὸν μουσικῆς μεταβάλλειν εὐλαβητέον, ὡς ἐν ὄλῳ κινδυνεύοντα, κ. τ. λ. Legg. II. p. 658. 679. III. p. 700. A. sqq. DION. CHRYSOST. Orat. XXXIII. p. 411. παρὰ τοῖς Ἕλλησι πρότερον δεινὸν ἐδόκει τὸ μετακινεῖν τὴν μουσικὴν, καὶ κατεβόων πάντες τῶν ῥυθμῶν εἰσαγωγῶν ἕτερον καὶ τὰ μέλη ποικιλώτερα ποιούντων, ὡς διαφθειρομένης τῆς Ἑλλάδος ἐν τοῖς θεάτροις. CICER. Legg. II. 15. §. 38. civitatumque hoc multarum in Graecia interfuit, antiquum vocum conservare modum, qua-

rum mores lapsi ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus. Ibid. §. 39. et III. 14. §. 32. Nimirum in his artibus, maximeque in musica, qui ita omnia turbarent, ut nihil non ad voluptatis gratiam et iucunditatem vellent attemperari, hi non modo publicae privataeque disciplinae corruptores habiti sunt, verum interdum etiam publice accusati; id quod Timotheo Milesio, Euripidis aequali, accidisse novimus, qui aucta cantuum per maiorem chordarum numerum varietate fregisse visus est lyrae dignitatem. v. CASAUB. ad Athen. T. IV. p. 610 sq. ed. Schweigh. LEOPARD. Emendatt. VIII. 14. MUELLER. Doriens. T. II. p. 326 sqq. et Histor. Litter. Graec. T. II. p. 286 sqq. FABRICI Biblioth. Graec. T. II. p. 325. ed. Harless. Atque hinc iam intelligetur, opinor, quid sit, quod Aristophanes etiam haec in parte Euripidem gravius quam pro veritatis ratione inCUSAVERIT; nam auctis et amplifictis criminibus, quae in eum coniecit, etiam Athenienses gravius et acerbius inCUSAVISSE sibi visus est.

Sed progrediamur ad aliam criminationem, qua Comicus in poëtam tragicum usus est. Nam reprehenditur Euripides etiam propterea, quod tragoediam a pristina sublimitate et granditate avocata ad vitae communis humilitatem detruserit et in domos civium introduxerit, quo scilicet isti ad rem privatam ac familiarem prudenter gubernandam quam plurimum inde commodi et utilitatis perciperent. Enimvero exhibuisse saepenumero in fabulis suis arguitur vitae domesticae tanquam picturam, ita ut hanc qui spectavissent, ii rerum domesticarum, etiam vilissimarum, curiosiores existerent. Lepidissima sunt quae eo nomine exponuntur v. 958 sqq., ubi Euripides gloriatur, sese primum ita instituisse, ut in fabulis scenicis personae omnes essent actuosae; ut uxores pariter atque mariti, et servi non minus quam domini, verba facerent; ut res domesticae quoque in scena tractarentur, quo facilius audientes ipsae eas possent iudicare; ut spectantium animi a sublimiorum rerum contemplatione avocati ad res vere utiles ac fragiferas adverterentur; denique ut prudentia ac sapientia in re familiari administranda inde perdisceretur; hunc enim unum eundemque maximum esse fructum, quem ludorum scenicorum spectatio praebere possit. Quibus expositis Bacchus admodum facete inde a vers. 990. ista omnia assensione sua confirmans: „Sane quidem, inquit, nunc unusquisque Atheniensium, ubi domum revertitur, statim sciscitatur, ubinam olla stet, ubi allium iaceat, quis catinum confregerit, quis arrosit olivam, et quae sunt id genus alia. Harum nimirum rerum maiores nostri stolide erant incuriosi ac negligentes.“ Cum quo loco contulisse iuvabit illa Thesmophor. p. 383 sqq., ubi mulier acerbissimas in Euripidem querelas iacit, quod maritos edocuerit ad res domesticas suas animum attendere quam diligentissime. Enimvero haec quoque criminatione talis est, ut quum non sine quadam veritatis specie in Euripidem conferatur, tamen, si verum quaerimus, in Athenienses ipsos potissimum cadat. Euripides enim profecto hoc tanquam proprium habet, quod in fabulis suis subinde virtutum ac vitiorum exempla veluti ob oculos

ponit ad ipsam vitae veritatem expressa, quod crebro praecepta dat ad vitam privatam prudenter regendam utilia, quod denique spectatoribus imaginem vitae domesticae exhibet, qua variae eius rationes in illustriore quadam luce collocentur. In qua quidem re si quid peccavit poeta, est hoc illud ipsum, quod in rerum privatarum ac domesticarum descriptionibus interdum solet esse copiosior, sicuti fit, ut pauca de multis afferam, Hecub. v. 360 sqq. 1128 sqq. Electr. v. 305 sqq. Troad. v. 193 sqq. 493 sqq. Orest. v. 1106. ubi inter alia vulgaria ista nendi texendique negotia et quae sunt id genus alia copiose depinguntur, id quod, iudice etiam Porsono ad Eurip. Orest. v. 1106., humiliter est quam pro tragoediae dignitate. Quamquam non sine causa admonuit PFLUGKIUS Praefat. ad Eurip. Vol. I. P. II. p. XXXII., qui tragicum hoc nomine reprehendere voluerint, iis multo cautius ea in re versandum esse quam a plerisque fieri nunc soleat, quippe qui temere praesentis aetatis rationes protenus ad iudicium de veteri tragoedia faciendum adhibeant. Sed esto: sit non exigua Euripidis hoc in genere culpa, quam in eum a Comico revera conferri nemo temere inficiabitur. At quorsum tandem illud referendum dicemus, quod illis rebus indicatur hoc spectavisse, ut Athenienses rerum familiarium redderet cupidiores atque iusto curiosiores? Nimirum istud quidem sine dubio ab Euripidis mente et consilio plane fuit alienum, qui non depravare cives suos voluit, sed potius ad prudentiae civilis virtutem instituire atque conformare. Quocirca nos quidem in ea sumus sententia, ut hic quoque callidissime poetae ea affingi putemus, quae populo lubricose artis scenicae spectaculo abutenti erimini verti poterant. Quod enim accidere solet iis temporibus, quibus omnia ad utilitatis trutinam atque communem vitae usum referuntur, ut etiam ipsae artes liberales servire cogantur vulgari commodorum et utilitatum studio, idem etiam Athenis tunc videtur ita accidisse. Nam, si Platonem aliosque audimus, flagrabant omnes, summi infimi, insatiabili quadam honorum et divitiarum cupiditate, quo ipso evenit, ut illae artes inprimis expeterentur studiosissime, quarum ope et auxilio cupiditatibus istis quam facillime satisfieri posse videretur. Hinc inprimis etiam philosophiae et eloquentiae studia multorum gratiam nacta sunt, quippe in quibus praesidium aliquod et adiumentum prudentiae civilis ac domesticae positum esse videretur (v. PLAT. Gorg. p. 484. C. sqq.); hinc igitur Euripides quoque a Comico dicitur labentissime esse auditus, quippe quum vulgo homines sibi persuasissent sese aliquid *ad prudentiam* civilem ac domesticam ex eius rerum domesticarum descriptionibus proficere posse. Quod quidem apparet ita ab eo fingi, ut totum commentum lepidissimae irrisionis plenum sit atque ad animos audientium pungendos elegantissime comparatum, praesertim quum iis hac occasione crimini datum sit rerum novarum studium atque importunae curiositatis vitium, quod Atheniensibus tanquam hereditarium fuit. Quamquam Comicus simul scite significavit, quid sibi revera hoc in genere in fabulis Euripideis displiceret.

Sed videamus aliam reprehensionis partem eiusque causas et rationes paucis

rimemur. Vituperatur enim Euripides etiam propterea, quod ab alto illo, quo Aeschylus polluerit, spiritu poëtico plane defecerit ideoque tragoediam granditate et magnificentia sua orbatam ad humilitatem atque ieiunitatem olim inauditam depresserit. Quorsum pertinet ante omnia locus ille facetissimus, qui est vers. 917 sqq. Ibi enim Euripides, Aeschylo vanum et affectatum exprobrans granditatis studium, primum huic vitio vertit, quod Nioben, Achillem, alios, fecerit quam diutissime tacentes, ut scilicet spectatorum animi longiore futurarum rerum expectatione suspensi tenerentur intereaque possent proluxa decantari cantica, actione aut nulla aut saltem perexigua. Deinde eundem accusat, quod temere proiecerit ampullas et sesquipedalia verba; quod miras insolitasque monstrorum species in scenam produxerit; quod semper in ore gerat fossas, valla, scamandros, gryphos, aquilas in scutis effictas, alia; quod denique miraculosa et portentosa quaeque coacervaverit, quo facilius scilicet singularis cuiusdam gravitatis atque grandiloquentiae laudem consequeretur. Quae omnia ab semet ipso ait prudenti consilio aliter esse instituta; se enim tragoediam ab isto tumore, quo laboraverit, liberam reddidisse ac rursus fecisse tenuem; se primum ei grave istud pondus, quo fuerit oppressa, sapienter ademisse; se argutarum disputationum olerumque alborum succo effecisse, ut tanquam madefieret et rigaretur; se denique etiam ita instituisse, ut omnes personae in scenam prodeuntes actuosae essent nec ulla earum maneret otiosa aut vultu humi defixo taciturna adstaret. Quae omnia apparet sic ab illo disputari, ut nec Aeschyli virtutes ex vero aestimentur, et ipsius vitia partim pro virtutibus venditentur. Sed praeterea huc referendus est locus ille nobilissimus v. 1354 sqq., ubi posteaquam Aeschylus postulavit, ut carminum suorum gravitas ad trutinam exigatur, uterque iubetur aliquot versus lancibus librae in scenam apportatae imponere. In quo quidem examine verba Aeschyli pondere suo semper praevalent adeo, ut lanx Euripidis nunquam non ingenti velocitate sublime feratur: quin Aeschylus denique ipsum Euripidem una cum eius uxore et Cephisophonte famulo lanci vult imponi, sese duobus versibus suis pollicitans protenus id effecturum, ut cuncti quantocius sursum in aërem evehantur. Enimvero haec quoque quorsum pertineant, primo adpectu clarum est; notatur enim levitas quum sententiarum tum verborum, quae in fabulis Euripideis conspicua sit, eoque nomine poëta ipse risui multitudinis exponitur. Iam vero quaerentibus nobis, num ingens istud vanae ieiunitatis vitium in Euripide iure notetur, an iniuria, certe denuo subnascatur necesse est dubitatio, num Comicus non illum unum ob oculos habuerit, sed una eademque opera etiam aequales notare et perstringere voluerit. Quippe fecit sane Euripides in deligendis pariter fabularum argumentis atque in eorum tractatione magnam ab Aeschylo discessionem, sed fecit tamen sic, ut, quantumvis subinde contra artis leges peccaverit, tamen pro aetatis suae rationibus propriam quandam gravitatis atque dignitatis laudem tueri existimari debeat. Nam ut desit apud ipsum granditas illa ac sublimitas argumentorum ac

sententiarum, qua apud Aeschylum animi spectantium tanquam vehementi quodam ac subito impetu corripiuntur et ad magnificos sensus caritatis in patriam, verecundiae in deos, indignationis adversus impotentes barbarorum tyrannos, horroris ac metus propter impiae ac flagitiosae audaciae vel temeritatis poenas, aliosque consimiles affectus convertuntur; ut careat simplici illa sed eadem grandi sane et germana arte, qua parens tragoediae fabularum suarum argumenta tractavit eorumque partes disposuit et coagmentavit; ut denique dictionis genus, quo usus est, cum Aeschyli oratione non possit comparari, quippe quae insigniter gravis, sublimis et grandiloqua sit, habeatque lumina verborum audacissimorum, ut subinde torrentis instar feratur: tamen in simili genere item suas quasdam atque proprias habet laudes, quas nec ii videntur ei ereptas voluisse, qui teste QUINTILIANO Institutt. Orat. X. I. olim dubitaverunt, uter in dispari dicendi via melior esset, Sophocles an Euripides. Etenim habet sane fabularum argumenta aptissima ad id, quod inprimis spectavit, ut molliores ac teneriores spectantium affectus, amoris, desiderii, pietatis, moeroris, tristitiae, miserationis denique, commoveret; habet artificiosorem earundem compositionem, qua actionem, apud Aeschylum pro temporum ratione admodum simplicem, sollerter auxit magisque variam reddidit; habet rerum ac sententiarum maiorem simplicitatem, qua earum explicationem ad ipsam naturae veritatem perduxit propius et tanquam attemperavit, eamque ob causam etiam mores hominum, ut ARISTOTELIS verbis utamur, magis quales sunt quam quales esse debent imitando expressit; habet denique orationem, quum facundia et suavitate insignem, tum inprimis etiam illi consilio accommodatam, quo per ludorum scenicorum occasionem sanioris philosophiae praecepta audientium animis tanquam furtim instillare voluit. Quae certe omnia sunt eiusmodi, ut, etiamsi aliter comparata sunt atque apud Aeschylum, tamen dignitate atque gravitate haudquaquam careant. Quamquam fatendum est eorum vim subinde non mediocriter debilitari et imminui eo, quod non usque quaque libera animi concitatione motus et tanquam furore poëtico percitus sua carmina fudit, sicuti ab Aeschylo et Sophocle factum, sed in iis pangendis artis doctrinaeque rationi studiorumque diligentiae tribuit plurimum. Quo ipso etiam factum est, ut in vitia quaedam incurrerit. Nam iure sane in eo notatur, id quod nec Comicum praeteriit, nec fugit Longinum c. 15. in., quod subinde fatiscit spiritu et dum altius conatur assurgere, vel humi repit vel fucatum sublimitatis colorem affectat; quod longioribus declamationibus nervos orationis interdum incidit et paene infringit adeoque versus languidos interserit; quod pro gravibus tristitia et miserabilia, ac pro iis, quae nativa vi sua excellunt, arguta et artificiosius quaesita substituit; quod dum animos misericordiae ac tristitiae sensu perfundere conatur, subinde nimius est in describendis casibus flebilibus; quod denique artificiosioris compositionis studio saepe iustam actionis progressionem conturbat eiusque exitum aliam atque fieri oportuit facere ausus est, quamobrem etiam ab ARISTOTELE Art. Poët. c. 13. dicitur: *μη̄ εὖ οἰκονομεῖν*. Sed haec omnia etsi verissime in ipso reprehenduntur,

tamen vel in his vitiis fabulae eius retinent nescio quid gravitatis ac sublimitatis plane eximiae, quali vel Aeschyleae et Sophocleae fabulae quodam modo carent, ut profecto iniusti sint, qui eas cassa nuce volunt esse inaniores. Certe quidem sapientissimi quique de eo consentiunt, quod nec acerrimus vitiorum eius reprehensor negare ausus est, eas animi motibus eiendis adeo esse accommodatas, ut merito omnium poëtarum *τραγικώτατος* existimandus sit. v. ARISTOT. Art. Poët. 13. Atque id verissime ita iudicari etiam artis tragicae annales loquuntur. Nam Euripideas fabulas sicuti antiqui poëtae Latini, Ennius, Naevius, Accius, Pacuvius, alii, vel imitati sunt vel Latine reddiderunt, ita easdem etiam qui inter recentiores extiterunt poëtae cultiores, nunquam non praecipue amarunt et admirati sunt, ex quibus nominasse satis erit CORNELIUM et RACINIUM, Francogallos, et GOETHIUM atque AUG. GUIL. SCHLEGELIUM, hoc est, viros humanitatis laude et eximia facultate poëtica insigniter conspicuos. Quid igitur caussae esse dicamus, cur Aristophanes in miserum poëtam adeo inclementer invectus sit, ut ei omnem omnino gravitatis laudem eriperit? an eum putabimus vitiis eius, quae ex philosophiae studiis orta putaret, adeo iratum fuisse, ut nec virtutes eius rite aestimaverit? Nimirum dicam aperte quod sentio; iratus fuit sane veris eius vitiis, inprimisque moleste tulit, quod ille per philosophiae inventa in scena divulgata non modo novitiam istam disciplinam apud populum propagavit, sed etiam artis tragicae gravitatem et magnificentiam aliquantum imminuit. Verum id ipsum quoniam factum est eo, quod ingenio, moribus atque studiis aequalium nimium indulsit atque obtemperavit, etiam hoc nomine eum finxit talem, in quo aetatis vitiositas, quae etiam ex miseranda quadam poësis ieiunitate atque humilitate elucesceret, clariore luce collustrata cerneretur. Itaque in unum Euripidem utpote poëtarum, qui populo morigerati essent, facile principem, crimina cuncta conguessit, unde ipso nihil esse exilium et ieiunium appareret, idque verisimilitudini convenienter ea ratione fecit, ut pro fundo commentorum suorum veris eius vitiis et erroribus usus sit. Quae ubi tenemus, etiam hic, quid de Comici ratione existimandum sit, facile intelligetur. Voluit enim proposita ista Euripidis imagine, si non ad veritatem, at certe ad speciem verisimilitudinis expressa, populo ostendere, quousque iam in poësi tragica esset deventum, quandoquidem vulgo etiam eae fabulae probarentur, quae verae gravitatis atque sublimitatis spiritu omnino carerent atque perversis aetatis studiis ad miserandi cuiusdem languoris et ieiunitatis vitium depressae essent. Qua ratione apertum est, eum non modo Euripidis vitia tetigisse, quae de industria mirifice exaggeravit, verum etiam cohortem malorum poëtarum, qui ab ipso v. 92 sqq. vocantur *χελιδόνων μουσεῖα*, *λωβηταὶ τέχνης*, omnem corripuisse, et vero etiam populum Atheniensem, qui modo Euripidis iacturam miserrime deploravisset, de poësis dramaticae depravatione in dies magis gliscente facete quidem, sed item acerbe admonuisse. Nec profecto temere ita fecit Comicus: qui quam vere iudicaverit, magno argumento illud est, quod Sophocle et Euripide extinctis flos tragoediae

Graecae adeo marcescere coepit, ut illorum quidem tragoediae quam religiosissime conservarentur ac per longum tempus in scena florerent (v. Воевкн. Princ. Tragg. p. 12 sqq. et p. 327 et 328.), sed quae illarum praestantiam et virtutem aequarent, fere nullae nascerentur.

Sed praeterea in Euripide etiam multiplex inertia et fatuitas notatur in singulis quibusdam rebus conspicua. Quorsum praeter Aeaci orationem v. 465 sqq. ad imitationem eius compositam maxime referenda sunt quae de singulis quibusdam vitiis eius in prologis potissimum admissis exponuntur. Posteaquam enim Euripides argute malitiosus incusavit Aeschylum quod is verba quaedam parum subtiliter accurateque distinxerit v. 1135 sqq., in quo facile agnoscas Prodicum Cei discipulum, quem aliunde constat in discriminibus vocabulorum rimandis sedulo fuisse versatum (v. ann. nostra ad PLATON. Protagor. p. 337. A. = p. 128. ed. 2. Goth., et HEMSTERHUS. Anecd. I. p. 4. sqq. ed. Geel.), vicissim Aeschylus inde a versu 1193 illum carpit propterea, quod Antigona suam his verbis exorsus sit: Ἦν Οἰδίπῳ τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνὴρ. Oedipum enim inde a natalibus suis perpetuo fuisse omnium mortalium longe miserimum. Deinde eum non tantum singulorum verborum ac sententiarum vituperatione vexat, verum etiam longius progreditur. Demonstrare enim instituit, integrorum versuum iambicorum in fabularum initiis, quae quidem iudice etiam RITTERO ad Aristotel. Art. Poët. pag. 166. omnino insigniuntur nomine prologorum, eam esse rationem, ut omnibus ac singulis una atque eadem formula, eaque valde trita et vulgaris, annecti queat, nec metro nec sententia reluctantem. Annectit enim exordiis Archelai Euripidei (de qua fabula v. MATTHIAE Eurip. T. IX. p. 84.) Hypsipyles (v. ibid. p. 191.), Stheneboeae (v. ibid. p. 329 sqq.), Phryxi (v. p. 294 sqq.), Iphigeniae Tauricae, Meleagri (v. MATTHIAE l. c. p. 224 sqq.) ordine deinceps notissimum illud: ληκύθιον ἀπώλεσεν, et quidem sic, ut et numeri salvi maneant et integra semper existat sententia. Qui quidem lusus quemadmodum est facetissimus, ita etiam acerbissimus est. Nam primum eo notatur singularis quaedam numerorum aequalitas ac similitudo in exordiis fabularum Euripidis conspicua, qua fieri possit, ut subiecto praemisso semper post τὸ ἰαμβικὸν πενθημιμέρες verbum cum obiecto sequatur atque τὸ τροχαϊκὸν ἐφθημιμέρες efficiat; quod versuum genus, nec Aeschylo aut Sophocli ignotum, veteres Grammatici ideo appellarunt ληκύθιον vel Εὐριπίδειον. v. Schol. ad Lysistr. v. 824. Deinde etiam perquam ridicule reprehenditur sententiarum ratio, qualis est apud Euripidem, quandoquidem grandiloquae orationis exordio protenus adiangitur vulgare aliquid, quod cum illo sic in unum coit, ut poeta tragicus id ipsum dicere voluisse videatur. Qua ratione Euripidem manifestum est notari ideo, quia eam finxerit orationem, quae etiam in putidam fatuamque sententiam commode exire queat. Atque id ipsum putamus significari ab Aeschylo v. 1213. verbis: ποιῆς γὰρ οὕτως ὥστ' ἐναρμόττειν ἅπαν, καὶ κνδάριον, καὶ ληκύθιον, καὶ θυλάκιον, ἐν

τοῖς λαμβείοισι, δείξω δ' αὐτίκα: ubi quod *θυλάκιον* in exitu versus positum est, id PORSONO ad *Medeam* v. 150. ΒΟΤΗΙΟ, FRITSCHIO ad *Thesmophor.* v. 285., haud sane debet esse offensionem; est enim insolentior haec iambi in exitu versus solutio proterve admissa, quo magis pateat, omnium vocabulorum, quae ad corrumpendos prologos Euripidis adhiberi possint, eandem esse rationem. Nec eam licentiam moleste tulit HERMANNUS ad *Nubb.* v. 1062. Iam vero ad haec accedit, quod illa formula habet sententiam ad ridendam Euripidis artem rationemque longe accommodatissimam, siquidem ea indicatur, Euripidem grandes illas, quas iacere conatus sit, verborum *ampullas* saepenumero amisisse atque derepente abiisse in genus dicendi vulgare atque humile, quod cum granditatis et sublimitatis affectatione parum conveniat, de qua re etiam LONGINUS c. 15. nonnulla disputat. Nam *λήκυθοι* quum sint *ampullae*, hoc est, vasa variae materiae, forma lenticulari, tereti ambitu et pressula rotunditate, quibus maxime utebantur in balneis et palaestris ad condenda olea et unguenta, de quo usu voc. docte exposuit FISCHERUS ad *Aristoph. Plut.* v. 811. p. 435. in *Comm. Beck.*, tum translate dicuntur etiam de ampullis verborum (*HORAT. Art. Poët.* v. 97.) deque oratione grande quid et magnificentum sonante aut saltem affectante, ideoque etiam tanquam pigmentis exornata, quo sensu etiam *λήκυθίζειν* verbum frequentatum est. v. Schol. et intpp. ad *ARISTOPH. Acharn.* v. 596. CICERO ad *Attic.* I. 14. *totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus soleo pingere, de flamma, de ferro — nosti illas λήκυθους — valde graviter pertexuit.* conf. *PLIN. Epist.* I. 2. ibique GESNER. ERNESTI *Lexic. Tech. Graec. Rhetor.* p. 385. WEICHERT. *Poëtar. Latin. Reliqq.* p. 387 sqq. Sed nimirum haec omnia etsi ad ridendum cavillandumque Euripidem egregie comparata sunt, tamen non minus pertinent ad deludendos Athenienses: id quod omnino de universi istius certaminis poëtici ratione iudicari oportet. Est enim ea profecto tam singularis, ut qui sibi persuaserint agi potissimum de pretio Aeschylis et Euripidis tragoediis statuendo, ii magnopere mirari debeant, quod poeta comicus suam de tragicis nobilissimis iudicium isto modo palam facere conatus sit. Nam afferunt illi passim res leviusculas, unde nemo temere artis iudicium repetat; obtrectant inter se plerumque sic, ut magis speciem veri aliquam captent, quam ipsam veritatis rationem consecentur; promunt subinde, quae vanis ineptiis atque gerris studiose quaesitis quam rectis iudiciis similiora sunt; denique admittunt etiam ridiculos quosdam errores, quales maxime animadverti licet, ubi de vocabulorum usu disceptant atque suos quosdam versus interpretari conantur. Quid igitur? putabimusne Comicum non perspectum habuisse, quam parum ista ratio sua momenti faceret ad virtutes et vitia poëtarum recte aestimanda? Enimvero indignum sane fuerit ita de praestantissimo comoediarum artifice existimare; qui quod rem eo, quo fecit, modo tractavit, in eo certe non temere egit, sed potius aliud quid sequutus est. Quod quale sit, paucis aperuisse iuvabit. Etenim primum quidem ille facili negotio, opinor, per-

spexit, rem tam gravem atque severam, qualis fuit celeberrimorum tragicorum censura, non posse ad eam legem atque normam perfici, quam subtilior artis ratio vel exigeret vel praescriberet. Id enim apertum est ab comoediae hilaritate futurum fuisse alienum. Quocirca totam rem instituit sic, ut seria iocis misceret, sed nihilo secius, quid ipse sentiret atque vellet, tanquam per transennam ostenderet. Nam ita dum mentis suae iudicium patefecit, a fabula sua omnem severitatis tristitiam et morositatem procul habuit, sicut naturae comoediae conveniens est. Verumtamen illud ipsum, quod propemodum universae rei iudicium a rebus levibus, exiguis, futilibus et ineptis, repetitur, quae ad fabulas utriusque poëtae rite aestimandas nullum plane momentum faciunt, id vero eiusmodi est, ut suspicari probabiliter liceat pertinere illud maxime ad deludendos Athenienses, quos poëta Comicus tanquam eos notavit atque risit, qui quum sibi viderentur artis tragicæ iudices esse peritissimi atque elegantissimi, tamen in aestimandis fabulis scenicis non ad id animum adtenderent, unde suspensum esset rectum rei iudicium, sed malarum argutiarum studiis corrupti de rebus nihili argute nugari mallent. Nimirum ita populo Atheniensi etiam hoc nomine sophisticæ disciplinae studia vitio verti facile intelligitur. Ac satis aperte Aristophanes in ipsa Ranarum fabula significavit, quid de spectatorum iudicio sentiret. Nam v. 1110 sqq., ubi Chorum fecit poëtas ad examen prologorum sese accingentes graviter cohortantem, ut institutum certamen naviter fortiterque persequantur, quandoquidem coram iudicibus callidis et bene eruditis sint certaturi, hæc scripsit: *εἰ δὲ τοῦτο καταγοβῆσθον, μή τις ἀμαθία προσῆ | τοῖς θεωμένοισιν, ὡς τὰ | λεπτὰ μὴ γνῶναι λεγόντων, | μηδὲν ὀρθῶδεῖτε τοῦθ' ὡς οὐκ ἔθ' οὕτω ταῦτα ἔχει. | ἔστρατευμένοι γὰρ εἰσι, | βιβλίον τ' ἔχων ἕκαστος μανθάνει τὰ δεξιὰ· | αἱ φύσεις τ' ἄλλως παρηκόνηται. | μηδὲν οὖν δείσητον, ἀλλὰ | παντ' ἐπέξιστον, θεατῶν γ' οὐνεχ' ὡς ὄντων σοφῶν.* In quibus profecto nemo erit quin protenus sentiat acerbissimam inesse audientium irrisionem, quos poëta deinceps ista certaminis ratione sua facete delusit. Non minus aperte poëta animi sui sententiam declarat v. 787 sqq., ubi posteaquam Aeacus narravit, magnam extitisse turbam hominum sceletorum, qui Euripidi modo in aulam Plutonis ingresso solium illud, quod antea Aeschilo fuerit concessum, vindicare conati sint, Xanthias, Dionysi servus, eum interrogat hæc: *μετ' Αἰσχύλου δ' οὐκ ἦσαν ἕτεροι ξύμμαχοι;* ad quae ille respondet: *ὀλίγον τὸ χρηστόν ἐστιν ὡσπερ ἐνθάδε:* quod apertum est ex inopinato dici sic, ut permutatis locorum rationibus ἐνθάδε de Athenis intelligi oporteat. Sed quum ex his verbis, quid rei sit, facili negotio conicere liceat, tum confirmatur sententia nostra vel maxime etiam eo, quod Bacchus, sicuti in Commentatione peculiari ostendimus, in Ranarum fabula populi Atheniensis partes agit. Lepide igitur a Comico sic est institutum, ut poëtae coram Baccho, certaminis iudice, concertantes ea proferant, quae ad iudicium recte prudenterque regendum paene nullam vim habeant, utpote ex vana et inani argutiarum studio ducta. Nam ita manifestum esse

debet omnibus, populo facelissimo lusu ostentata esse talia, qualia ab iis, qui novitiae rhetorum, grammaticorum ac sophistarum arti operam darent, in iudicandis poëtis tragicis pro temporum ratione aetatisque studiis maxime spectari solerent. Quae ubi tenuerimus, totum hunc comoediae locum, ab interpretibus parum adhuc intellectum, rectius utique iudicabimus; neque enim quisquam erit, quin certaminis illius rationem largiatur sollertissime a Comico institutam esse.

Physik mit Prima und Secunda. Mathemat. M. Hohlfeld.

Lateinisch mit Prima allein. Rector Prof. Stallbaum.

Griechisch desgleichen. Conrector M. Jahn.

Nachmittags von 2—5 Uhr.

Lateinisch mit Secunda. Conrector M. Jahn.

Griechisch desgleichen. Colleg. III. M. Lipsius.

Deutsch desgleichen. Conrector M. Jahn.

Hebräisch zweite und dritte Abtheilung. Colleg. III. M. Lipsius.

Dienstags den 25. April.

Vormittags von 8—11 Uhr.

Geschichte mit Tertia. Adjunct. II. M. Haltaus.

Lateinisch desgleichen. Vicar. M. Jacobitz.

Griechisch desgleichen. Colleg. VI. M. Koch.

Französisch desgleichen. Francogall. M. Günther.

Nachmittags von 2—5 Uhr.

Mathematik mit Quarta. Mathemat. M. Hohlfeld.

Geographie desgleichen. Adjunct. II. M. Haltaus.

Lateinisch desgleichen. Colleg. VI. M. Koch.

Griechisch desgleichen. Colleg. V. M. Zestermann.

Mittwochs, den 26. April.

Vormittags von 8—11 Uhr.

Religionsexamen mit Quinta. Colleg. V. M. Zestermann.

Naturgeschichte mit Quinta u. Sexta. Adjunct. I. M. Brenner.

Lateinisch mit Quinta allein. Adjunct. II. M. Haltaus.

Griechisch desgleichen. Vicar. M. Jacobitz.

Nachmittags von 2—4 Uhr.

Religionseramen mit Serta. Adjunct. I. M. Brenner.
 Arithmetik mit Quinta u. Serta. Mathem. M. Hohlfeld.
 Lateinisch mit Serta. Adjunct. I. M. Brenner.

Nach Beendigung dieser Prüfungen wird Tags darauf, Donnerstags am 27. April, Vormittags um 9 Uhr, eine gemeinsame Versammlung sämtlicher Lehrer und Schüler Statt finden, in welcher die allgemeine Censur, die Prämienvertheilung und die Versetzung und neue Ordnung der Classen bekannt gemacht wird. Auch werden in dieser Versammlung die zur Universität abgehenden Jünglinge unter Einhändigung der ihnen zuerkannten Maturitätszeugnisse feierlich von der Schule entlassen werden.

Hierauf findet Freitags am 28. April Vormittags von 9 Uhr an die Valedictionsfeierlichkeit statt. Es werden nämlich folgende fünf Böglinge unseres Gymnasiums:

Moriz Emil Körner, aus Leipzig,
 Adolph Keil, aus Leipzig,
 Herrmann August Julius Welke, aus Berlin,
 Friedrich Wilhelm Hermann, aus Roswein,
 Heinrich Rudolph Hildebrand, aus Leipzig,

vor ihrem Uebergange zur akademischen Laufbahn noch die Gefühle des Dankes gegen die Pflegerin ihres Geistes öffentlich aussprechen, indem sie zugleich bescheidene Proben erworbener Kenntniß und Geschicklichkeit in kurzen dichterischen und prosaischen Redeversuchen darlegen werden. Den Abgehenden wird hierauf einer ihrer zeitherigen Mitschüler:

Friedrich August Thieme aus Leipzig,

im Namen der Zurückbleibenden ein Lebewohl nachrufen, und sodann die Feierlichkeit mit einem vom Sängerkhor der Alumnen vorzutragenden Abschiedsgefange beschloffen werden.

Die Absicht voranstehender Abhandlungen und Mittheilungen ist zunächst darauf gerichtet, die beiden oben erwähnten Feierlichkeiten unsrer Schule, nämlich die der öffentlichen Prüfungen, welche von Montag den 24. bis Mittwoch den 26. April gehalten werden sollen, und die der

Die Prü
werden vom 24.

Religionse
Physik mit
Lateinisch
Griechisch

Lateinisch
Griechisch
Deutsch de
Hebräisch

Geschichte
Lateinisch
Griechisch
Französis

Mathema
Geograph
Lateinisch
Griechisch

Religion
Naturge
Lateinisch
Griechisch

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale



Söglingen

gehalten werden:

. III. M. Lipsius.
lfeld.
um.

M. Lipsius.

estermann.
. M. Brenner.
altaus.

Benediction, welche Freitags den 28. April Statt haben wird, der wohlwollenden Beachtung und Theilnahme aller Gönner und Freunde des Gymnasial-Schulwesens anzuempfehlen. Wir haben daher die Ehre, zu denselben die verehrungswürdigen Herren Patrone und Ephoren unserer Lehranstalt, die Aeltern und Angehörigen der uns anvertrauten Jugend, alle Vorgesetzten, Gönner und Beschützer des vaterländischen Schulwesens, und überhaupt alle Freunde öffentlicher Bildungsanstalten hiermit gehorsamst und ergebenst einzuladen.

Die hiesige Benefizien-Gesellschaft hat am 28. April Bescheid genommen und ist an die Stelle der hiesigen Benefizien-Gesellschaft folgende Liste der Benefiziarer aufgestellt:

- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig

Die hiesige Benefizien-Gesellschaft hat am 28. April Bescheid genommen und ist an die Stelle der hiesigen Benefizien-Gesellschaft folgende Liste der Benefiziarer aufgestellt:

- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig

Die hiesige Benefizien-Gesellschaft hat am 28. April Bescheid genommen und ist an die Stelle der hiesigen Benefizien-Gesellschaft folgende Liste der Benefiziarer aufgestellt:

- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig
- Ulrich August Schütz, aus Leipzig

W, 7.

A D
SACRA ANNIVERSARIA
IN
SCHOLA THOMANA

DIE XXXI. M. DECEMBRIS A. CHR. MDCCCXLIII.

HORA V. VESPERT.

PIE CELEBRANDA

OMNI QUA DECET OBSERVANTIA ET HUMANITATE

INVITAT

GODOFREDUS STALLBAUMIUS

RECTOR.



Praemissa est Oratio anno superiore publice habita.

LIPSIAE MDCCCXLIII.

TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.

LEIP
51 11 (1844)

SACRA ANNIVERSARIA

17

SCHOLA THOMANA

DIE XXIV. DECEMBRIS A. MDCCLXIII.

ROSA V. TISSOT

THE GERRARD

OMNI QUA DECECT OBSERVANTIA ET HUMANITATE

EXACTA

GODFREDUS STALBERTUS

RECTOR



PLACUIT ET ORATIO HUIUS RECTORIS PUBLICA

LIPSIÆ MDCCLXIII.

EXIBITUM EST

Annus exegimus, AA., in suo genere adeo insignem ac prope mirabilem, ut quamquam per eum divinae providentiae beneficio pacis ac tranquillitatis bonis perpetuo frui licuit, tamen minime errare videamur eum iudicantes iis temporibus annumerari oportere, quae rerum magnarum atque animadversione dignarum inprimis fecunda extiterunt. Quod enim rarissime solet accidere, ut uno eodemque tempore in vita privata pariter atque publica et summae felicitatis et maximae calamitatis species quasi quaedam et imago cernatur, quae adpectu suo animos contemplantium tanquam in varias partes rapiat, contrariisque affectibus, gaudii et sollicitudinis, laetitiae et aegritudinis, admirationis et misericordiae, repleat; id hoc anno iamiam ad exitum vergente tam luculento exemplo evenisse meminimus, ut per eum mirum quoddam planeque insolens ingruentis calamitatis cum praesenti felicitate conflictantis ac paene decertantis spectaculum ante oculos positum habuerimus. Nam dum non modo singuli homines, sed universi populi atque gentes non sine laeta melioris fortunae expectatione sedulo id agunt, ut augendae atque conservandae communi utilitati ac saluti provisum videatur; dum mercatura aliaque negotia incredibili fere industria celebrantur; dum opibus ac divitiis comparandis vita externa tanquam ornatur et exhilaratur; dum immenso undique molimine ferro sternuntur viae, quibus in posterum populorum commercia accelerentur; dum ubique, in vicis pariter atque urbibus, nova eaque splendida et magnifica exsurgunt aedificia; dum post-

remo exquiruntur et comparantur plurima communis felicitatis augendae firmandaeque praesidia et adiumenta, ut a multis iam tandem ingenii humani vi et virtute ea inventa putentur, quibus beatissimum rerum omnium statum aliquando adductum iri sperare liceat; ecce improvise insolens quaedam eaque gravissima prorupit malorum vis et paene omnes cultioris Europae partes pervagata est, qualem se videre ne senes quidem ad ultimum aetatis terminum proveci meminissent, quaeque animos mortaliū repente maxima cura ac sollicitudine replet. Ipsi meministis, AA., quid per praeteritam aestatem animos hominum anxios ac suspensos tenuerit, et quam incredibili vicissitudine spes eorum laetissimae in metum ac terrorem abierint. Nam primum quidem miserandam quandam sensimus coeli inclementiam et intemperiam, qualem post plurimum annorum faustitatem nemo fere auguratus erat. Ibi vero insolentes orti solis ardores; agri nimio ac diuturno calore exsiccati; fontes et amnes paene exarefacti; fruges longa ac perpetua sideratione contostae ac pessumdatae; denique quae ad vitam sustentandam pertinent, in maximum corruptionis adducta periculum. Quod vero hos naturae terrores in immensum adauxit et amplificavit, furibunda fuit flammaram vis, quae per multas orbis terrarum partes maximeque in Germania nostra adeo grassata est, ut plurima loca incendiis exstingueret, imo etiam nobilissimas ac vetustissimas urbes, quae diutissime fuerant opulentiae communis sedes ac domicilia, protenus in cineres verteret et quum alibi tum etiam in nostra ipsorum patria ingentem stragem ederet maximumque luctum excitaret. Accesserunt insolentes quidam fortunae casus, qui vel potentissimas et opulentissimas domus atque gentes percellerent gravissime tamque repentino mergerent luctu, ut fortuna ipsa in iis vim et potentiam suam experiri voluisse videretur. Ita vero non potuit fieri, quin iuxta studia communis utilitatis tanquam posita videretur ingentis cladis imago, quae opinatae felicitatis speciem aliquantum imminueret atque depelleret. Nimirum ita est, AA.; incerta

sunt humana omnia; ne unam quidem horam tuto possidemus opes istas, quas vulgo nostras vocare solemus; nec ulla est mortalium prudentia aut industria aut fortitudo tanta, quae sarta tecta praestare possit, quae a nobis in bonis numerantur. Neque singulorum tantum hominum haec ratio est; verum, id quod miserabile dictu videtur, etiam universorum populorum, imo totius generis humani, eadem est condicio. Regnat enim in universis rebus humanis eadem fortunae inconstantia ac vicissitudo, quae in rebus singulorum hominum est conspicua, ut communis omnium salus ne sic quidem firmari aut stabiliri posse videatur, si plurimi iunctis viribus eodem tendant, atque felicitatis suae custodiendae quam plurima ac certissima reperiant munimenta et propugnacula. Quamobrem hic quoque nullo non tempore ingentes saepe extiterunt rerum conversiones, quibus quae antea visa essent maxima, derepente in minima converterentur; hic quoque evenerunt repentinae usque vicissitudines, quibus opes in immensum saepe provectae rursus frangerentur et in nihilum commutarentur; neque id unquam aliter factum iri, tales certe casus, quales per hunc annum non una urbs, non una terra, non una gens et natio, sed multi populi senserunt, vel incredulos gravissime admonere possunt. Frustra igitur sunt, AA., qui iam tandem eam humani ingenii vim eluxisse gloriantur, ut vel elementis naturae imperari queat; frustra sunt, qui prudentiam ac sollertiam hominum fortunae potentiae resistere posse censent, ut ne porro tam saevum in nos exercent arbitrium; frustra denique sunt, qui consilio, industriae, fortitudini, vigilantiae, patientiae denique humanae tantum tribuunt, ut felicitatem communem per eam conservari ac stabiliri perpetuo posse existiment. Imo manebunt semper humana omnia fragilia, fluxa, caduca; quaeque iam in altum evecta fuerint, ea usque denuo relabentur, fortasse etiam graviolem aliquando datura ruinam, quam si nunquam fuissent illuc educta, quippe quum nullum consilium, nulla ars, nulla potentia ac vis humana tanta sit, quae salu-

tem publicam tutam atque incolumem praestare possit adversus ea incommoda, quae cum vita hominum inevitabili necessitate coniuncta sunt.

Quid igitur? itane vero deploranda est mortalium condicio, AA., qui quum inextincto quodam melioris fortunae desiderio capti teneantur, tamen ubi paullulum profecerint, semper rursus ad pristinum statum suum reiiciantur? itane recte censuerunt sapientes illi, qui ne dicam singulorum hominum sed universorum etiam populorum beatitatem ad id tantum referri voluerunt, quod praesentis fortunae benignitas afferat, nihilque de futuro sperandum esse censuerunt? itane denique de generis humani ad melius progressionem plane desperabimus atque homines duro et iniquo fato ad eam sortem destinatos esse putabimus, ut exantlatos labores, etiam pro communi salute susceptos, nunquam aliquos fructus laetabiles allaturos esse existimandum sit? Nimirum miserandum profecto foret, AA., si hac condicione homines nati essemus! ac tanto miserabilior sors nostra foret, quo ardentius est melioris fortunae desiderium, quo optimi quique maxime tenentur. At enim vero rem longe aliter se habere, id quum credere nos iubeat providentiae divinae in gubernandis rebus humanis consilium, quod optimi quique certissime sibi persuaserunt longe esse benignissimum atque sapientissimum, tum etiam alia sunt, quae, si modo diligentius consideraverimus, luculente ostendere ac demonstrare possint. Inprimis vero ad regenda nostra de rebus humanis iudicia illud valere videtur, ut quidnam sit felicitas et qua lege ea nobis expetenda sit, bene nobiscum deliberatum habeamus. Atque ad hanc ipsam rem mentes Vestras hodie deducere non abhorrebit, opinor, ab huius solemnitatis nostrae consilio, quandoquidem ea certe talis est, quae nec a pietate aliena sit et vitae nostrae rationibus coniunctior videatur. Ostendere enim brevi oratione constitui, *quantum ad rerum humanarum iudicium regendum referat, ut veram generis nostri felicitatem meminerimus non alia re magis, quam perpetua atque infinita ad maiorem sapientiam et virtutem progressionem contineri.*

— 2 —

Quod quidem orationis meae argumentum etsi novitatis gratiam et commendationem video habere nullam, tamen ut sperem et confidam, me Vobis faventibus in eo illustrando operam esse positurum, singularis Vestra facit humanitas, quae imprimis etiam ex eo elucet, quod quantumvis Vestris muneribus et officiis gravissimis occupati, tamen huc nobiscum convenire atque nostrae pietatis testes esse voluistis.

Et veram quidem felicitatem quamnam dicamus, AA., vix opus videtur esse, ut copiosius exponatur. Intelligimus enim eam, quae nos ad maxima quaeque bona, quorum natura nostra capax est, et unde reliquorum omnium pretium atque dignitas maxime suspenditur, quam certissime perducatur; quae porro nos compotes illorum reddat sic, ut in iis potiundis atque comparandis nullis fortunae casibus obnoxii simus; quae denique viribus nobis a natura tributis ita respondeat, ut non modo iustis desideriis nostris satisfaciatur, verum etiam omnibus sine ullo aetatis vel ordinis discrimine possit obtingere iisque esse propria. Nam ea demum felicitas nomine suo digna videtur, AA., quae ita comparata sit, ut et summa bona, quorum participes fieri possimus, afferat, et tuto nos ad eorum possessionem perducatur, et ea omnia nobis largiatur, quae naturae nostrae tanquam propria sint et in eam convenient. Talem vero felicitatem etsi fuerunt, AA., qui in genus humanum cadere omnino negarent; tamen rem secus habere non sine idonea ratione arbitrati sunt, qui in ea causa diiudicanda imprimis melioris hominum naturae rationem ducendam esse censuerunt. Quorum quidem virorum sapientissimorum semper hoc fuit iudicium, ut veram felicitatem nostram non in alia re nisi in ipsius naturae humanae perfectione, hoc est, in perpetua quadam hominum ad maiorem virtutem ac sapientiam progressionem, contineri iudicaverint, ideoque existimaverint, quemadmodum singulis hominibus, ita etiam universis gentibus atque populis hoc esse propositum, ut tardo quidem ac saepe impedito, sed eodem tamen certo atque tuto itinere ad maiorem

paullatim humanitatis virtutem eluctentur, quo tandem etiam reliquis bonis non in hominum ipsorum potestate positus prudentius potiri, sapientius frui, denique laetius gaudere discant. Nec vero dubitari potest, AA., quin haec eorum sententia, sicuti cum laetifica illa opinione de providentia divina totum genus humanum paullatim ad meliora educente natura sua coniunctissima est, ita item plurima habeat, quae ad animos excitandos, erigendos, consolandos denique, non parvum momentum faciant. Inprimis vero eadem efficax est in moderando regendoque de rerum humanarum fortuna iudicio, quandoquidem eam tenentes rectius iudicabimus de felicitatis humanae finibus, de via ac ratione ad illam ducente prudentius statuemus, denique de facultatibus eius adipiscendae nobis a natura tributis rei ipsi convenientius existimabimus. De quibus quidem sententiae nostrae argumentis bona venia Vestra, AA., ordine deinceps explicare licebit.

Et primum quidem dubitari non potest, AA., quin vulgo in hominum animis ea quasi forma ac species absolutae et consummatae felicitatis humanae infixae haereat, ut, si quis ad extremum illius finem sit perventurus, eum existiment omnibus abundare oportere voluptatibus; nullis non frui commodis et iucunditatibus; opibus ac divitiis si non affluere, at saltem non penitus carere; praeterea vero etiam ea uti fruendorum et usurpandorum bonorum istorum potestate, ut nec infortuniis nec pravitate aut malignitate aliorum ab ea prohibeatur. Quae quidem de summae felicitatis ratione opinio non tantum ad res et fortunas singulorum hominum pertinet, sed adeo late patet, ut vulgo etiam ad universorum populorum, imo ad totius generis humani condicionem transferatur, quam ita demum aliquando ab omni parte beatam fore arbitrantur, si largissima omnium bonorum et corporis et animi copia suppetat eorumque usus sine nulla laborum accessione cuique pateat. Nam ex quonam tandem alio fonte fluxisse existimabimus, AA., pervulgatam illam

cultissimorum antiquitatis populorum opinionem, qua auream aliquando aetatem viguisse crediderunt, qua ea fuerit hominum fortuna et condicio, ut omnia, quae ad ipsorum necessitates requirerentur sponte et ultro iis suppeterent; ut summa regnaret tranquillitas et securitas; ut morum castitas ut innocentia quam maxima reperiretur; ut denique nec favor deorum nec ipsius rerum naturae faustitas et clementia desideraretur? Aut unde putabimus originem suam duxisse eorum populorum sententiam, vel potius spem atque expectationem, qui, quum ipsis duro et acerbo fato diutissime cum multis magnisque calamitatibus conflictandum esset, tristium temporum cogitationem grata futurae aliquando beatitatis imagine consolari studuerunt ideoque sibi persuaserunt gravium ac diuturnorum malorum perpressionem aliquando incundissimarum rerum libera neque ullo modo interturbata possessione compensatum iri? Nimirum ita est, AA: impressa fere in plerorumque hominum animis et tanquam signata extat haec consummatae felicitatis notio, ut tum demum putent eam inter homines locum esse habituram, si iis quam maxima rerum omnium expetendarum copia et ubertas parata sit. At vero falsam esse et inanem hanc talem sententiam, certe docet historia, locupletissima rerum humanarum testis; quae nunquam viguisse tempus illud beatum ostendit, quale homines isti votis suis expetunt: docet item ipsius vitae humanae consideratio, quae luculente demonstrat, res humanas tantis fortunae casibus esse obnoxias, ut eas unquam ad certam stabilemque felicitatem perductum iri haudquaquam sperare liceat. Atque haec ipsa causa est, AA., quamobrem vulgo de misera generis humani sorte acerbissimae querelae iaciuntur. Putant enim illud, quamquam ad maiora et meliora destinatum videatur, tamen non posse eo pervenire, ut iis bonis, quorum capax sit natura sua, vel tuto potiri vel secure perfrui queat, ideoque saepenumero eo usque progrediuntur, ut adeo de sapienti numinis divini gubernatione rerum humanarum dubitare audeant. Quid igitur in tanta

de re longe gravissima iudiciorum fluctuatione faciemus? Num rem levibus pendemus coniecturis? At vero eae ad veritatis explorationem parum aut nihil valebunt. An illam consultius ducemus in medio relinquere nec subtilius de ea quaerere et iudicare? At ne ii quidem, qui toto pectore providentiae divinae sapientibus consiliis confidunt, temere volent carere sensus sui fundamento quodam, siquidem in promptu habeatur. Nimirum ut libere profitear quod ipse sentio, propius certe ad verum perspicendum adducemur, ubi nostram fecerimus praeclaram illam sapientissimorum virorum sententiam, qua veram generis humani felicitatem non alia in re magis quaerendam esse censuerunt, quam in perpetua eius eaque infinita ad maiorem virtutem et sapientiam progressionem. Qua comprobata altum quidem ac sublimem nobis propositum cernemus felicitatis finem, quo maiorem ac praestantiorum cogitare haud facile liceat, verum eundem tamen non ita arduum, ut ad ipsum accedi propius nunquam possit. Quid enim? nonne probata praeclarissima hac sententia primum quidem animadvertemus, bonum non cum utili, honestum non cum iucundo, sempiternum non cum fragili et perituro, denique excelsum non cum humili temere esse confundendum, adeoque intelligemus felicitatem hominum in iis bonis sitam esse, quae haudquaquam ex fortunae temeritate pendeant, sed plane in nostra sint potestate? Quamquam quid dico, in nostra potestate? Unquamne enim futurum est, ut vel huius boni usum plane consequamur? Enimvero virtutis ac sapientiae omnino compotem esse, id vero numinis est longe perfectissimi; in humanam naturam tantum convenit ad eam perpetuo eniti eoque modo ad dei similitudinem certe aliquam contendere. Verum tamen hic ipse est ille, quem multi frustra quaesiverunt, summus atque extremus felicitatis finis. Quem si omnes sequuntur, AA., certe ea bona sibi comparabunt, quae sola sunt suo nomine digna, et ex quorum usu etiam eorum bonorum pendet pretium, quae propitiae fortunae benignitati accepta referuntur. Augenda enim sapientia et virtute etiam id

efficitur, ut homines fortuitis bonis rectius uti ac sapientius frui condiscant, eoque modo etiam fortunae suae quam optime consulant. O laetam igitur planeque excelsam et amabilem temporum speciem, quibus aliquando eveniet, ut omnes homines, omnes gentes ac populi, totum denique genus mortalium, hunc tanquam summum finem ob oculos habeant ad eumque iunctis viribus contendant. Hoc enim ubi facient, tum demum eveniet, ut ad extremum felicitatis eiusque summae latissimeque patentis finem ac terminum ita proficiscantur, ut intus in animis eorum pax et tranquillitas, virtus ac sapientia habitet, bonis autem externis, si quae iis contingant, recto usu ac sapienti fructu pretium atque dignitas sua tribuatur; cetera vero omnia numinis divini etiam res humanas sapientissime gubernantis providentiae pia cum fiducia permittantur! O utinam aliquando beata haec tempora mortalibus adveniant!

Quemadmodum vero in iudicandis felicitatis humanae finibus vis illius sententiae, de qua dicere instituimus, merito longe maxima censetur, AA.; ita eadem sine dubio etiam hoc efficiet, ut de *via, qua ad illam perveniri queat*, quamque vulgo parum tutam et expeditam esse queruntur, prudentius atque cautius statuamus. Atque hoc alterum est, de quo bona venia Vestra paucis dicturi sumus. Pervulgata est vero plurimorum hominum opinio, qua, quum res non satis ex sententia procedunt ac praeter expectationem eveniunt, sese omnino frustra vel propriae vel alienae saluti consulere existimant, ut ipsos plane condicionis suae poeniteat. Etenim quod consilia sua raro perfici, quod vota sua non semper expleri, quod denique spem et expectationem suam saepissime falli et irritam reddi vident, inde fit, ut sese denique unquam ad exoptatam felicitatis metam perventuros esse desperent, prorsus ut illi, qui quum diu sapientiae amantissimi essent, ubi de perfecta veritatis cognitione plane desperaverunt, rationis osores solent existere. Atque eadem fere ratio eorum est, qui de communi universarum gentium et populorum fortuna iudicare

audent. Quid enim? nonne quotidie fere sermones eorum audimus, qui omnino totum genus humanum ad ineluctabiles aerumnas damnatum esse censeant? Quid iuvant, inquiunt, humana consilia omnia, quid ingenii vis et sollertia, quid laborum industria, quid denique rerum praestantissimarum studia, nisi certa aliqua pateat via, qua aliquando possit tuto ad id perveniri, quorsum omnium ac singulorum hominum consilia sine controversia diriguntur? At quam obscura, quam impedita, quam difficilis est via et ratio, quae nos illuc perducatur; imo quam paene nulla. Vix aliquid est perfectum, quum rursus in irritum cadit; vix in melius mutatum, quum rursus relabatur ad deteriora; vix stabilitum ac firmatum, quum denuo convellitur, horribilem etiam stragem daturum. Enimvero nihil in rebus humanis certum atque constans videas; retro volvuntur omnia, posteaquam aliquamdiu procedere visa sunt; omnia minima maxima ita labuntur, ut modo crescant modo decrescant perpetuoque tanquam in orbem agitari videantur; unde fit, ut nec amplissimae opes diu consistent ac damnosa dies denique etiam ea imminuat, quae aeterna fore homines vulgo arbitrabantur. Quid quod adeo totum hoc universum, quem mundum appellamus, non temere quidam antiquitatis philosophi suspicati sunt, certis quibusdam temporum circuitibus absolutis, ubi ad aliquem beatitatis modum pervenerit, rursus retro revolvi et ad deteriora recidere; ut profecto multo minus genus humanum, etiamsi consociatis viribus ad meliora contendat, illuc, quo sperant omnes atque tacitis certe votis optant, certo gressu perventurum sit. Haec igitur sunt iudicia, hae voces eorum, qui generi humano conqueruntur viam ad felicitatem tanquam interseptam et perpetuo oclusam esse. Iam vero quid tandem censebimus de harum opinionum causis et rationibus? putabimusne revera ita esse, ut homines perpetuo incertis viarum regionibus oberrare existimandum sit, nec tamen unquam ad finem aliquem propositum pervenire posse? Nimirum haec quidem opinio quam indigna sit quum

ipsius naturae humanae viribus, quae perpetuo ad meliora nituntur et in infinitum explicari possunt, tum etiam providentiae divinae existimatione, quam credere profecto fas est nos non ad brutarum animantium deiecisse fortunam, id vero a sapientibus dudum intellectum ac demonstratum est. Quamobrem has dubitationes variis modis tollere ac removere conati sunt. Statuerunt enim, imo etiam argumentis demonstrare conati sunt, genus humanum obscuro quidem gressu et tenebricoso itinere, sed certa tamen et nunquam fallaci via pedetentim ad melius procedere, idque evidentius apparere censuerunt, si in exploranda iudicandaque rerum humanarum fortuna non ad singulorum tantummodo hominum aut populorum, sed ad universi generis nostri condicionem respiciatur. Et quis est, AA., quin cum maxima adversus Deum O. M. pietate et infinita gratiarum actione profiteatur, procedente tempore homines, etiamsi singulae gentes atque populi pariter ac singuli homines saepe post admirabilem prosperae fortunae magnitudinem gravissimis claudibus affecti iisque oppressi grande rerum humanarum fragilitatis documentum dederint, tamen usque ad laetiores rerum suarum condicionem progressos esse? Sapienter enim ac benevole aeternus mundi rector atque gubernator humano generi prospexit eo, quod quaecunque ad communem felicitatem conducerent bona atque commoda, a maioribus saepe diuturno gravique labore parta caroque emta, tanquam haereditate semper ad posteros transmitterentur, ita ut tanquam sors aliqua horum curae et fidei commissa in infinitum augeri et multiplicari possent. Quo quidem divino instituto inde a rerum principiis ad haec usque tempora conservato factum esse videmus, ut homines omni aetate aucti sint ampliore rerum optimarum et utilissimarum scientia; ut perpetuo melioribus instructi sint vitae emendandae ornandaeque praesidiis et adjuventis; ut ab illa priscorum saeculorum ruditate et prope immanitate per varios deinceps gradus ad eum, qui nunc est, cultum pervenerint; ut denique quid vere et perpetuo

prosit et quid privatam publicamque felicitatem efficiat, rectius perspicere et iudicare coeperint. Quae quidem omnia animo contemplans suo quis tandem est, quin maxima perfundatur admiratione ac divini numinis benignitatem summis laudibus tollat, per quam hominibus tanta bona atque commoda obtigerint? Verum enim vero nec sic quidem diffiteri poterimus, AA., viam, qua ad felicitatem perveniatur, hominibus adeo semper permanere incertam, adeoque difficilem et impeditam, ut in sua potestate habere quae sibi expetant haudquaquam iudicandi sint. Nam quantumvis tempore procedente plurimum ad felicitatem suam profecerint, mansit tamen semper eadem vis fortunae, quae inde a rerum primordiis in rebus humanis dominata est; mansit eadem naturae potentia et factorum iniquitas, cui homines, etiamsi plurimum prudentia et arte polleant, tamen nunquam satis resistere poterunt; mansit denique eadem hominum ipsorum imbecillitas et infirmitas, qua ita accidere videmus, ut factorum et consiliorum suorum eventum ne in horam quidem spondere possint. Quid igitur? ergone recte iudicarunt, qui viam et opportunitatem consequendae felicitatis nullam omnino tutam esse conquesti sunt? Nimirum haud videmur errare, AA., hic quoque iudicantes ad regendum moderandumque iudicium nostrum plurimum referre, ut generis humani felicitatem non ex alia re magis quam ex perpetua ad maiorem virtutem et sapientiam progressionem pendere nobis persuadeamus. Nam quum externae vivendi condiciones profecto tales sint, quae non videantur in nostra ipsorum potestate esse positae, vivendi autem consilium atque modum in nostra potestate habeamus, facile apparet, ad ea quidem, quae merito maxima et praestantissima censentur vitae humanae bona, in quorum possessione rectoque usu felicitas posita est, utique facile et sine ullis impedimentis perveniri posse. Etenim haec quidem via, quae illuc perducit, unicuique patet, nullique unquam est interclusa aut obsepta; haec quovis temporis momento a quolibet volente et cupiente tuto iniri potest, quippe quae non in remotis

locis quaeri debeat aut inventu difficilis sit; haec, quamquam est infinita, tamen nunquam quemquam moleste defatigat, novasque semper eundi illecebras praebet; haec ubi tenetur, a recto vitae cursu nunquam aberrabitur, ut nemo habiturus sit, quod in exitu itineris sui iure de fraudis et erroris molestia conqueratur; quid quod ea etiam ultra huius terrestris vitae curriculum porrigitur, et ad eum usque terminum pertendit, unde cursum illum ad sapientiae et virtutis laudem in hac vita inchoatum aliquando continuatum et perfectum iri sperare liceat. Itaque tantum abest, AA., ut querelae illae de incerta parumque tuta felicitatis consequendae via pro iustis habendae sint, ut iniquissimae videri debeant iis, qui veri vitae humanae propositi, unde suspensus est etiam reliquorum bonorum, quae suppetunt, usus, non omnino immemores fuerint. Nam tutissime profecto generi humano licet virtutis ac sapientiae viam et ingredi et vero etiam persequi; cetera autem bona, quae ei obtingere possunt, non tam expectanda aut postulanda, quam potius grato pioque animo accipienda sunt, ita quidem, ut bono sapientique usu demum nobis veluti vindicentur.

Apparuit iam, opinor, AA., quantum illa sententia, de qua exponere animum induxi, ad rectum de humanae felicitatis finibus deque eius consequendae via et ratione iudicium faciat. Sed eiusdem vis nec exigua erit, sicubi de facultatibus ad felicitatem consequendam hominibus a natura datis iudicandum sit. Etenim dubitari profecto nullo modo potest, AA., hominum genus praeter ceteras animantes eo potissimum excellere, quod plurimorum bonorum et potiundorum et fruendorum accepit potestatem, quae ceteris animantibus prorsus negata est, ita ut nulla fere sit iucunditas, nulla voluptas, nulla denique suavitas, cuius non possit fieri particeps. Quanta enim est sensuum, quibus homo utitur, teneritas et mollitudo; quanta eorumdem sollertia; quanta denique eorum virtus et praestantia, quippe qui arctissime cum ipso animo ac mente colligati sint, cui rerum plurimarum notitias nunciant earumque obscuras ac necessarias intelligentias patefaciunt!

Quanta porro gaudet ingenii sollertia; quanto mentis acumine; quanta rerum perspicientia! Et quam sollers est in inveniendis pariter atque fabricandis iis omnibus, quae ad vitam feliciter beateque degendam valeant! Denique quam nullis paene finibus ac terminis inclusae sunt eius vires, ut perpetuo excoli, perfici, corroborari queant! Enimvero haec omnia considerantes diligentius fateri certe debemus, genus humanum tantae capax esse beatitudinis, qua vix maiorem animo fingere liceat. At enim vero ubi hanc tantam virium, quibus ad percipiendam tenendamque felicitatem ornatum est, copiam et magnitudinem contemplantur, nonne mirabimur, in vitae humanae intuentes veritatem, quod earum usus ad comparandam felicitatem adeo est exiguus atque tot tantisque impeditus difficultatibus? Nam plurimae certe nobis auferuntur earum adhibendarum opportunitates; multis item bonis spoliatur, quibus iam potiti esse videbimur; multa denique vertunt in perniciem, unde aliquando largissimum utilitatis fructum perceptum iri speraveramus. Quid igitur? nonne recte vereque censuerunt, qui hominibus plurimas ad felicitatem nanciscendam naturae suae dotes frustra ac sine consilio suppeditatas esse arbitrati sunt eoque nomine generis nostri sortem miserrimam esse iudicaverunt? Nimirum, ut dicam quod sentio, AA., ita statuere sane licebit, si qui res humanas ex vulgi opinionibus iudicant; aliter certe existimabunt, qui veram humani generis felicitatem in perpetua quadam ad maiorem virtutem ac sapientiam virtutem sitam esse sibi persuaserint. Nam hi profecto cum maxima grati animi testificatione fatebuntur, singulari quodam providentiae divinae munere sibi obtigisse, ut plurimis iucunditatibus perfrui possint; fatebuntur item, felicitatis privatae pariter atque publicae augendae tanta tamque multiplicia hominibus suppetere auxilia et adiumenta, ut ea in dies crescere possit, nunquam autem earum virium exercendarum et usurpandarum sublatam esse occasionem, quarum usu denique ad veram ac perpetuam perveniatur felicitatem. Quodsi vero

videant aut earum usum legibus rerum naturae esse obnoxium aut quae humanae saluti inservire videantur, secum reputabunt, vires homini proprias certe istis casibus rarissime infringi aut penitus auferri, sed potius materiam quasi quandam accipere, qua suscitentur, alantur, confirmentur, ut denique ad verae felicitatis consequendae facultatem augeantur et veluti convalescant.

En igitur, AA., utilitatem, quam cogitatio eius sententiae, de qua dicere instituimus, in rebus humanis iudicandis afferre nobis possit. Prohibebit enim vel maxime, ne aut finem felicitatis nobis propositum nimis arduum, aut viam, quae eo perducatur, parum certam atque tutam, aut denique vires ad eam nanciscendam datas magnam partem vanas et inanes esse existimemus. Nec vero ea ad iudicium tantum moderandum regendumque plurimum valet, sed pertinet item ad actionem. Quid enim studium virtutis magis incendere, quid sapientiae amorem magis suscitare et inflammare potest, quam si harum ipsarum possessione veram salutem nostram contineri meminerimus? Et quid dicam de artium et litterarum studiis? quid de iuventutis erudiendae disciplina? quid de cura, quam in privatam et publicam educationem conferendam esse omnes existimant? Etenim quicumque in his omnibus studiose elaboraverunt, eoque nomine praeclare meriti sunt, hi certe non aliam ob causam magis id ita fecisse iudicari debent, quam quod hominum beatitudinem non cum vulgo in externorum bonorum affluentia quaererent, sed in recto mentis animique cultu, quo uno ad veram felicitatem etiam ideo adducimur, quia inde nascitur rectae voluntatis conscientia, sine qua bene et beate vivi nunquam potest.

Et in talium virorum numero etiam illi habendi sunt, qui anno praeterito ex hac terrestri vita in coelestem patriam redierunt, quosque huic civitati nostrae atque litteris ereptos esse, nos, qui iis sumus superstites, merito lugemus. Ex quibus pietatis officium postulat, ut primum nomi-

nemus virum humanitatis laudibus, dum in vivis erat, maxime conspicuum, CHRISTIANUM THEODORUM WEINLIGIUM, Cantorem huius Scholae meritissimum, qui quum iuventutem nostram per longam annorum seriem ad artis musicae facultatem praeclare instituerit et exercuerit, tum in ea re perpetuo ita versatus est, ut pulcherrimae artis usum religiose ad excolendam humanitatem attemperaret, ideoque ab ea remota cuperet omnia, quae a vero rectoque hoc consilio aliena essent: quo quidem nomine hanc Scholam ad perpetuam gratiam sibi devinxisse videri debet. Parem laudem seetatus est qui cum artis musicae studiis liberaliorum artium amorem haud vulgarem coniunxit, FRIDERICUS ROCHLITZIUS, huius Scholae quondam alumnus, postea ad grandem senectutem usque gratus eiusdem piusque cultor, in quo viro merito omnes praedicant, quod artes humanitatis non ad inanem oblectationem aut ad voluptatem, sed unice ad virtutis dignitatem spectare oportere iudicavit, idque etiam suo ipse exemplo palam testatum fecit. Et quid dicam de iis viris, qui divinae humanaeque sapientiae interpretes ac doctores ita esse voluerunt, ut id etiam munerum gravissimorum professione et administratione palam declaraverint? Nam GUILIELMUS quidem PISTOTHEUS KRUGIUS quam fortis ac strenuus fuerit verorum illorum bonorum defensor atque patronus, unde salutem publicam et privatam iuxta cum aliis viris sapientissimis sibi persuaserat, id, si quid augurari licet, nec sera poteritas sine piaculo unquam obliviscetur. CAROLUS vero GODOLFREDUS BAUERUS quorsum in rerum humanarum studiis mentem advertere conveniat, adeo semper apud se constitutum habuit, ut etiam sacra illa oratione, quam scriptam post obitum suum reliquit, quamque in novi anni auspiciis erat habiturus, ostendere audientibus animum induxerit, calamitosi tempestatibus miseris mortalibus nullum aliud relinqui malorum effugium, quam ut ad virtutis et sapientiae studium convertantur in eaque re mentis solatium quaerant. Enimvero egregii hi viri omnes, ac si qui eorum similes extiterunt, in hac quidem vita terrestri id secuti sunt, ut

veris bonis comparandis communem salutem quam plurimum adiuvent; post hanc autem vitam eosdem id assequutos esse pie credere fas est, ut illis plane potiti ad perpetuae eiusque nullis interturbatae fortunae casibus beatitatis fructum pervenerint.

Atque horum tantorum bonorum ut homines in dies magis fiant memores et studiosi, quo laetius inter ipsos crescat vera felicitas, sine cuius possessione reliqua bona omnia nullius pretii sunt, id vero est, quod piis votis ac precibus maxime expetere debemus. Itaque Tu, o Deus, aeternae felicitatis auctor atque parens, ipse potentissimo Tuo auxilio miseris adsis mortalibus; indas ipse iis hanc mentem, ut semper appetant, quae ad veram ipsorum salutem conducunt; largiaris iis denique quaecunque pro Tua sapientia iis dare decrevisti, ut haec vita terrestris fiat quam beatissima. Adsis inprimis numine Tuo potentissimo carissimae patriae nostrae; adsis huic urbi dilectissimae; adsis denique huic Scholae, ut porro maneat sancti spiritus Tui officina. Defendisti, o pater aeternae, anno hoc calamitosissimo pro admirabili Tua potentia et incredibili benignitate ab hac civitate nostra omnes calamitates omniaque publica incommoda; salvam et incolumem stare iussisti hanc nostram urbem; florere eam usque voluisti pristina opulentia et omni felicitatis genere; beasti porro magistratus atque cives maximis bonis atque commodis; denique nobis omnibus, quotquot doctrinae studiis operam damus, copiam largam fecisti earum rerum, quae ad mentis eruditionem pertinent. Pro his tantis beneficiis agimus Tibi gratias quam possumus maximas, idque facimus eo ardentius, quo magis sentimus nobis ea obtigisse immerentibus. Sed iidem etiam Te supplicibus precibus rogamus, velis nobis proximo quoque anno numine Tuo adesse propitius. Nam sine Tua ope quam nihili sint humana consilia omnia, id, si ullo alio tempore sensimus, certe sentimus hoc ipso temporis articulo, quo ad huius anni terminum atque finem accessimus. Audi Deus has preces nostras, iisque

nemus viru
CHRISTIANI
mum, qui
musicae fac
ita versatus
nitatem aff
rectoque ho
petuam gra
cum artis n
iunxit, FRI
ad grandem
merito omni
tionem aut
tere iudicav
quid dicam
doctores ita
sione et ad
PISTOTHEUS
rum defenso
cum aliis vi
nec sera po
FREDUS BAU
conveniat,
oratione, qu
auspiciis era
tosis tempes
gium, quam
re mentis so
eorum simile

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale



erat, maxime conspicuum,
huius Scholae meritissi-
annorum seriem ad artis
rit, tum in ea re perpetuo
se ad excolendam huma-
eret omnia, quae a vero
hinc hanc Scholam ad per-
laudem seetatus est qui
rem haud vulgarem con-
uondam alumnus, postea
sque cultor, in quo viro
non ad inanem oblecta-
ignitatem spectare oport-
alam testatum fecit. Et
sapientiae interpretes ac
a gravissimorum profes-
am GUILIELMUS quidem
t verorum illorum bono-
icam et privatam iuxta
, si quid augurari licet,
r. CAROLUS vero GODO-
udiis mentem advertere
ait, ut etiam sacra illa
, quamque in novi anni
mum induxerit, calami-
l relinqui malorum effu-
convertantur in eaque
i viri omnes, ac si qui
estri id secuti sunt, ut

potenti numine Tuo propitius annue! In Te uno enim omnis nostra spes posita est!

Instat rursus tempus illud gravissimum nobis atque sanctissimum, quo Schola Thomana idem illud pietatis officium sibi obeundum statuit, cuius caussa ea, quam nunc edidimus, oratio ante hunc annum habita est. Ad quam quidem solemnitatem concelebrandam ut frequentes convenire velint quicumque studia nostra benevolo favore suo prosequuntur, tanto optamus ardentius, quo plus nostra interesse debet, ut etiam publice constet, in ludis litterariis non id tantum agi, ut pueri et adolescentes ad bonarum artium studia instituantur, sed imprimis etiam illud curari atque spectari, ut animi mentesque eorum ad rerum divinarum meditationem convertantur sinceræque pietatis sensu imbuantur. Quodsi igitur **VOS GENEROSISSIMI, MAGNIFICI ET ILLUSTRES UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES, PATRONI SCHOLAE THOMANAE SUMME VENERABILES ET AMPLISSIMI, FAUTORES** rerum nostrarum **GRAVISSIMI ATQUE HUMANISSIMI** hisce sacris nostris interesse non dedignati fueritis, id officium nobis praestitum esse putabimus, quo nihil quidquam hoc tempore nec nobis magistris gratius nec universae scholae honorificentius obtingere potuerit.

P. P. die XXVIII. m. Decembris A. Chr. MDCCCXLIII.